

ХБОНУ імені І.І.Мечникова

Sum Joh H. Seiden
prol studiis ac obig.

ЧБ ОКУ имени Л. Мечникова

573

19/5

Ms N 2562
1952

459

*EXCELENTISSIMI
ac CLARISSIMI*

JOHANNIS CLAVBERGIL
Philosophi ac Professoris qvon-
dam in Academia Teutopolitana
Clivorum longe Celeberrimi

PHYSICA CONTRACTA.

In qua tota rerum universitas per clara & certa principia succincte & dilucide explicatur.

In gratiam Studiosæ Juven-
tutis nunc primum in hanc
formam redacta & præmissa utili
præfatione adjectisqve ad calcem tribus
Aut. Dissertatiunculis audita,
Studio

PAULI MICHAELIS RHEGENII,
- Claudiopolitani Tr.

LIPSIA,

Supt. HÆRED. FRIE. LANCKISII.

Anno 1689.

Anno 1689.

VIRIS

Plur. Reverendis, Excellentissimis.

DOMINO

A D A M O Rechenberg/

S. S. Theol. Licent. & Prof.
Publ. in Academia Lipsiensi
Celeberrimo;

DOMINO

Gottlob FRIDERICO
Seeligmann/

S. S. Theol. Licent. & Verbi Di-
vini Ministro ad D. Nicolai fi-
delissimo;

item,

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

DOMINO

F R I D E R . B E N E D I C T O
C A R P Z O V I O ,

Reip. Lips. Senatori Conspicuo.

Наукова бібліотека
Одесського університету
им. І. І. Мечникова

ИА-27158

ut &

Clarissimis atque Doctissimis Viris,

DOMINO

CHRISTIANO FUNCCIO,
Gymn. Aug. Gorl. Rectori me-
ritissimo, & in Illustr. Ord. Palmif.

SCINTILLANTI;

DOMINO

JOHANNI PRÆTORIO,
Gymn. Hallens. Rectori
vigilantissimo;

DOMINO

CHRISTIANO WEISIO,
Gymn. Zittav. Rectori ce-
leberrimo;

nec non

Nobilissimis atque Lectissimis

DOMINO


JOHANNI CHRISTIANO
Schamberg/

Phil. & Med. Studioſo Ex-
perientissimo;

DOMINO

ERNESTO Gottlieb
Bosen /

Phil. & Jur. Utr. Studioſo
Strenuissimo,



Dominis Patronis, ac Fautoribus de-
vota observantia Venerandis,
Colendis.

S. P.

Eniam dabitis
spero, Viri Ex-
cellent, Ampl.
Clariss. qvod præpri-
mis Veneranda VE-
STRA Nomina huic o-
pusculo prefigere non
dubitaverim: Summo
enim desiderio exo-
ptavi, ut commoda a-
liqvando se offerretoc-
casio, publicum exhibe-
re testimonium,
meæ

meæ erga Vos obser-
vantiae; Sed cum diu
nimis illa protrahere-
tur, impatiens tandem
moræ, præsentem Ce-
leberrimi Philosophi
Philosophiam Natura-
lem arripui, eamque
Studiosæ Juventutis
velificari studens, Ve-
stro Nomini inscribere
volui. Non erat au-
tem cur Vos Patronos
sibi hic Liber feligere
vereatur, cùm nihil
a 4 præ

præter Veritatem
 complectatur, atque
 præclarissimi hujus æ-
 vi Philosophi mentem
 aperiendo, ejus do-
 trinam pandat, expli-
 cet, aperiat. Sed mul-
 tis etiam nominibus
 hoc audere debui: Ac
 primum quidem ut
 Vobis, Excell. Dne
 Rechenberg / & Dne
 Seeligmann / nec non
 Ampl. Dne Carpzovi,
 qui me per integrum
 ferè

ferè annum, cum aliis
 Munificentissimis Pa-
 tronis, mensæ vestræ
 participem reddidi-
 stis, & adhuc eundem
 favoris affectum con-
 tinuatis & adaugetis,
 gratum meum ani-
 mum, & quam obstri-
 ctus devinctusq; No-
 mini Vestro sim, decla-
 rarem. Vobis autem
 Præclarissimi Gymna-
 siarchæ ut docerem,,
 quantâ dexteritatem

Vestrā in formandis
ac fingendis Adolescentium ingenīis ad
humaniores literas admiratione proseqverer, qvantoqve Scholasticam Vestrā functionem in pretio haberem, ut cui ad id ipsum Patria nato gratalis solitus erat. Vestrā autem Nobilissimi & in spem & ornamentum patriæ natī, Juvenes, ut memoriā

riam istius ætatis, quando studiorum illæ primiæ, à qvibus ut solet, omnia fausta, & felicia in maturorem ætatē paulatim trans-eunt, feliciter promotæ, ad invidiam deprædicarem, pabulum igni Vestro Sacro suggererem, meqve in Vestrū favorem insinuarem. Accipite itaqve, Excell. Nob. Ampl. Clariss. Viri,
a 6 Dni.

(o) Dni Patroni, hanc ve-
nerabundi animi thef-
seram, qvam cum hu-
millima veneratione,
Vestri Nominis, in per-
petuum subjectissimi,
addictissimi, devotis-
simique animi testi-
monium, suspendo.
Deum Opt. max. sup-
plex venerans, ut Vos,
Vestrā Domum, &
familiam, studia &
functiones Vestras, ad
Nominis sui gloriam,
ad

(o) ad Reip. utilitatem,
diutissime conservet,
prosperet, promoteat.
*Et ut me ac mea studia
sub Benignitatis Ve-
stræ præsidio fovea-
tis oro. Favete*

*E secessu meo Lipsiaco Anno
M DC LXXXVIII.
die 10. Novembr.*

Excell. Ampl. Clariss. Nob.
Nominis Vestri

devotissimo & observantissimo
Cultori

Paulo Michaëli Rhegenio,
Claudiop. Tr.

P R A E F A T I O.



P R A E F A T I O.
IN
P H Y S I C A M
C O N T R A C T A M

De Infantiae præjudiciis, tanquam
causis imperfectionum humanæ men-
tis in rebus cognoscendis, in qua
universæ Physicæ fundamen-
tum ponitur.

Benevolè Lector.



vandoqvidem libri hu-
jus inscriptio explica-
tionem rerum magna-
rum & pulchrarum, de
qvibus agitur in Phy-
sicis, tibi promittit; ad

scriptum hoc nostrum cum cura ex-
aminandum invitare te amica præfatio-
ne volui, non ut hæc judicio probes
aut verbo defendas, anteqvam vera
esse cognoveris, sed ut sepositis infan-
tiæ

tiæ præjudiciis, omnia sincere ad ve-
ritatis trutinam examines. Nulla e-
nim re magis perfici humanus potest
intellectus, qvam cognitione verita-
tis, qvæ ex perspectis rerum causis
potissimum resultat, adeo ut bene Poë-
ta clamet:

*Fælix qvi potuit rerum cognosce-
re causas.*

Sed qvia veritas deprehendi nequit,
nisi errorum prius causæ sublatæ fue-
rint, nam ut alius Poëta canit:

Sincerum nisi vas, qvodcun-
que infundis acescit,

hinc non multo infeliciorem eum præ-
dicabis, qvi errorum fontes & ori-
ginem retexit. Qware si insigni bene-
ficio afficit, qvi corpus à morbo libe-
rat, qvarto magis ille beare hominem
censendus erit, qvi animum ab erro-
re purgaverit?

Hoc ipsum dum in limine hujus
Physices, (ex Claubergio cuius rarior
apud nos usus,) conamur, sicqve ad
sincere judicandum seqventia lecto-
rem

P R A E F A T I O .

rem nostrum præparemus , utcunqve defecerimus in conatu non minus difficulti quam laudabili , gratiam nihilominus humani generis & favorem bonorum omnium spondere nobis audiemus.

Præclare itaque illum veritatem rei perspicere , qui à principio res orientes ac nascentes inspexerit lib. i. de Rep. Cap. optime docet Aristoteles. Sic natura humani corporis multo facilius distinctiusque intelligi potest, si quomodo in utero matris paulatim formetur & tandem in lucem edatur, quam si tantum ut absolutum & perfectum consideretur. Egregii illius moniti haud immemores in imbecillitatibus mentis nostræ detegendis ab ovo rem ordiemur , quibus ab initio pullulent errores nostri & quomodo progressu temporis succrescentes roburi consequantur visuri. Nec dubium esse potest, quin ille errorem elevat optime, qui simul ostendit & quia occasione in illum incideris & quomodo

in

P R A E F A T I O .

in eo detentus & confirmatus fueris.

Non videtur autem necessarium esse, admonere, nos eas tantum imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoscendis indagare causas, quæ naturalis rationis face prælucente inventari possunt, non illas quæ ex supernaturali de lapsu primorum parentum revelatione desumuntur, quandoquidem ipsa Præfationis Physicæ inscriptio de eo dubitare finit neminem.

1. Principio igitur, ut à manifestissimis capiatur exordium, non perfectos nos homines nasci, sed esse primū infantes, ac deinceps adolescere, donec ad maturam ac firmatam deveniamus aetatem, notius est quam ut ignorari queat.

2. Neque ignotum est, in prima ista aetate non modo organa corporea esse imbecilliora, ita ut manus ad laborandum pedes ad ambulandum non sufficient; sed etiam rationis usum valde imperfectum esse. Quia imbecillitate atque imperfectione non obstante, sicut incedere pedibus & manibus res contrectare: ita varia de

P R A E F A T I O .

de rebus in sensum incidentibus judicia jani tum ferre homo incipit.

3. Et manibus quidem ac pedibus tanto rarius actiones nocituras imperat , quanto frequentius incommoda inde aut molestiam percipit. Nam siquando manus ad flamnam extendens urse sentit, & postea currere volens cecidit, ut pescator ictus sapere dicit & cavyere.

4. Judicia vero de cœlo, terra, stellis plurimisqve aliis rebus formare solet sæpius ac minus circumspecte, qvia dum rarius ex eo, qvod male judicavit dolorem aut incommodum corpore persentiscit, errare se non animadvertit. Qvin etiam manus infantis constringuntur, ne pro lubitū res omnes attingere possit, & serperastris aliisq; positis impedimentis præservatur, ne forte liberius evagando cadat neve in aquam vel ignem se præcipitet. At judicandi facultati nulla huius generis obstacula ponuntur, sed ea, nativa sua libertate utens, qvousqve oculorum

ardorq; passioni molli stridore per-

P R A E F A T I O .

pertingit acies , præcipiti festinatone excurrit.

5. Qyum verò ejusmodi judicia ab ea ætate profiscantur, qvæ non est idonea ad judicandum , non possunt non falsa aut incerta omnia à Philosopho existimari. Et qvia ante plenum atqve integrum rationis usum habentur , non tam judicia & sententiæ, qvam *præjudicia* & anticipatæ præconceptæ opiniones debent appellari. Sed qvid causæ sit , cur infantes erremus potius in judicando qvam adulti , qva item ratione infantiarum hallucinatio reliqvæ hominis ætati universæ ergastulares tenebras & fere inextricabiles offundat, expendere deinceps plenius oportebit.

6. Nempe mens humana in *prima etate* tam arcte molli corpori est alligata tamqve profunde humido cerebro immersa , (liceat nunc ita loqui qvando aliter non possumus) ut non aliis cogitationibus vacet , qvam iis solis , per qvas ea sentit qvæ corpus afficiunt ac movent, neqve aliter

de

P RÆFATI O.

de rebus judicet, qvam ex relatione qvam habemus ad corpus, commodum ei aut incommodum adferendo, aliisve pluribus modis illud affiendo. A qvacunqve igitur re commodum & voluptatem in membris corporis percepit, eam rem in se bonam esse judicat, eoqve meliorem, qvo jucundius corpus afficit, aut majorem ei utilitatem confert; ita infans rebus lucidis & splendidis maxime capi deprehenditur.

7. A qva autem re incommodum & dolor corpori infertur, illam absolute *malam* opinatur, ideoqve virgam, qva interdum castigatur, ut rem pessimam fere abhorret, neqve bonitatem ullam serpentibus tribuit, sicuti degant in iis locis, ubi hominibus frequentius ab iis noceri solet. Et in genere, qvalis res est in sensu infantis, *talem* ipsam in se censet esse, adeo ut nolis & sonantibus affingat qvicqvid ipsi phantasia suggerere videtur. Sic in re colorata putat esse aliquid omnino simile illi notio-

P RÆFATI O.

tioni sive perceptioni, qvam habet de colore.

8. Porro eo *plus* esse putat in unoqve objecto, prout plus ab eo afficit magisqve movetur. Sic multo plus substantia seu corporeitatis esse autumat in axis aut metallis, qvam in aqua vel aere, qvia plus duritie & ponderis in eo sentit. Sic terram Sole cæterisqve omnibus mundi corporibus longe majorem esse existimat, qvia, cum crassitie & opacitate sua oculis sit propinquior, major apparet. Contra eo *minus* esse putat in qvovis objecto, prout minus afficitur ac moveatur: e.g. qvia non plus luminis à stellis fixis, qvam ab exiguis flammis lucernarum, ei affulget, idcirco nullas stellas flamulis istis majores sibi representat, tanquam exigua puncta imaginans ea corpora, qvæ vel ipsum solem, qva lucis copia, qva corporis amplitudine, adæquare, bonus Physicus tutius affimet qvam neget?

9. Ubi vero sensibili ratione non

Наукові
Одесського
ІМ. І. Г. Чиникова

Бібліотека
Університету
заснована

P R A E F A T I O.

afficitur seu movetur infantis corpus, ibi *nihil* plane rerum esse censet. Sic aerem, quādiū nullum in eo ventum, nec frigus aut calorem experitur, pro nī hil prorsus ducit, & multa alia vacua atq; inania vocat, non, quod certa ibi desint corpora, quæ adesse debent vel solent alias (quod sapientum est iudicium) sed quia omne corpus, imo substantiam omnem abesse arbitratur. Sol totum cœlorum expansum, maxim Creatoris augustum opus realique materia plenissimum, turpissime hallucinando pro inani & nihilo estimat. Eodem modo, quia propter amplitudines curvaturæ non afficitur à terræ rotunditate, ideo nec globosam, sed planam iudicat, idemque in ea ubique sursum, idem ubique deorsum, eodem ubique mundi cardines, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem sibi imaginatur. Ubi autem visus terminatur, ibi & mundi terminos ac fines terræ collocat. Itaque dum infans in loco patente consistit undique circumspiciens,

P R A E F A T I O.

ciens, terra latissima planicie in omnes plagas æqualiter ipsi incurrire videtur. Et ab hac planicie in circulum latissimum exorrecta defluxit *orbis terrarum* appellatio. Et quoniam ita stans infans se videt in medio illius plani circuiti positum, ideo se habitare in medio mundi ridiculo errore sibi persuadet.

10. Ita sensim, at sine sensu h. e. non advertendo, simulatque editi in lucem suscepti sumus, innumeris imbuimus præjudiciis, & à prima nostra infantia cum lacte nutricis errorem fugimus. Postea in pueritia cum mens recordari deberet, se quæcunque ineunte ætate iudicavit ante plenum rationis usum absque sufficienti examine admisisse, & quod proinde falsa potius quam vera sint existimanda, illa contra talia ut sensu probe cognita vel ut à natura sibi indita considerat. Hinc plurima sunt quæ à natura videmur didicisse, aut quibus notionum communium nomen imponimus & omni homini innata arbitra-

P R A E F A T I O .

bitramur, qvæ tamen revera nihil sunt nisi immatura ætatis præjudicia. Exemplum suppeditat Arist. 4. Phys. I. Sic scribens : Omnes ea, qvæ sunt, alicubi esse existinant: qvia id qvod non est, nusquam est. Ubi namqve hircocervus aut Sphinx? Idem Cicero habet Tuscul. I. Si qvid est, nusquam esse non potest; & si nusquam esset, ne esset quidam. Ethiujus qvidem enunciati, quatenus pro communi notione habetur hæc est sententia, qvod omne est certi loco definitoqve spatio circumscribatur. Nam ita homines inferunt: hares est hic, illa ibi, alia alibi, pisces in mari, aves in aere, stellæ in celo &c. Ergo nihil omnino est, qvin sit in aliquo loco determinato.

II. Hoc sensu alibi Aristoteles, nempe I. de Cœl. Cap. 3. ait : Omnes homines de Diis existimationem habent, & niverfi, qvi Deos esse putant, tam Graci qvam Barbari, ipsum supremum locum Diis tribuerunt. Ubi evidenter apparet, hanc hominum notionem com-

MU

P R A E F A T I O .

munem, *Deum esse in cœlis*, tanquam specialiorem, subordinari priori illi generaliori, *omne ens alicubi esse*, & ab eadem dependere. Esse autem erroneam illam opinionem, qvod res omnes, adeoque etiam Deus, certo loco comprehendantur, non arbitror longa probatione indigere. Sed nos jam de pueritia, infantilem judicandi modum non corrigente, sed novo potius errore stabiliente, loqui institueramus. Profecto enim pueri, haud secus atqve infantes, omnia adhuc metiuntur voluptatis ac doloris commodis atqve incommodis, gaudentes equis, canibus (ut Horatii verbis utar) & aprici gramine campi, cerei in *vitia* voluptatis specie | blandientia flecti, monitoribus asperi, jucundas potius qvam honestas colentes amicitias, &c.

12. *Maturioribus* deinde annis, licet mens non amplius tota corpori ejusque voluptatibus serviat, pleraque tamen adhuc ad corporis usum refert, ut mirum non sit corporis curandi tuendiqve artes & prius inventas & diligentius ab hominibus excultas esse,

B

qvam

P R A E F A T I O .

quam eas quæ animo medentur. Nec mirum etiam , cum homines pleraque ad corpus referant, quod res vix aliunde denominent, definiant, aut dividant, quam ab habitudine & respectu ad corpus & externâ sensuum organa. Si res *sensiles* vel *insensiles*, *visibles* vel *invisibles* perhibent, quæ vulgatissimæ divisiones non ad rerum natruram sed ad sensus & oculos nostros sunt accommodatae. *Aerem* ab *anusi* spiro vocamus quia ore inspiratur; *mare*, quod amarum lingvæ nostræ; *elementa* quasi alimenta, quia nos alunt. Et quia generliter de corpore cogitat, non tam absolutam ejus naturam & essentialiem constitutionem spectat, quam quod durum vel molle sit, trigidum aut calidum, tangere vel tangi possit, secundum illud Lucretii

Tangere vel tangi nisi corpus nullapotest res.

13. Quamvis autem mens non omnia ad corpus referat, verum etiam de rerum in seipsis spectatarum veritate

P R A E F A T I O .

te maturis ipsis annis inquirere instituens multa ex iis, quæ olim judicavit falsa esse deprehendat, (v.g. dum turres quæ rotunda viæ fuerant è longinquo , quadratas cernit è propinquo, & statuas in earum fastigiis collacatas, ubi eò ascendit, permagnas agnoscit , quæ è terra spectanti parvæ admodum videbantur) quia tamen vix alio hic utitur judicandi genere, quam quæ ab incunabulis adsuevit, fieri non potest, ut ista ratione cunctos errores suos emendet. Ideoque multa adhuc perperam antea judicata, propter longam iis fidendi consuetudinem, vera esse sibi persuadere pergit. Ita infantia præjudicium retinebant illi Philosophi, qui Solem bipedalem aut tantum esse censebant, quantum vindetur , vel paulò aut majorem aut minorem, quam sententiam Epicuro tribuit Marcus Tullius i. de Finibus.

14. Nec alia fuit causa, cur veteres, ne dicam de recentioribus nonnullis, vacuum dari crediderint , quam quia ab infantia putarant in illo spatio nihil

P R A E F A T I O .

omnino esse, in quo nihil occurrit quod sensum movet. Ut facilius veniam concedamus Poetis, qui aerem vacuum & inane magnum vocitare solent. Etiam antiquæ Ecclesiæ patres non pauci, quorum è numero Lactantius imprimis fuit, præjudicium de terra planicie mordicus adeo tenuerunt, ut Antipodas dari, id est, homines qui à contraria parte terræ adversa pedibus nostris calcent vestigia, & fabulosum & stultum esse pronunciârunt. Imo refert Aventinus, lib. 3. histor. Bavari Virgilium quendam, virum eruditum, & Episcopum Salæburgensem, quod homines undique terræ globo circumfundit & conversis sive adversis inter se pedibus stare asseruerit, excommunicationis fulmen evitare haud potuisse. Zacharias enim pontifex ad Bonifacium Archiepiscopum, qui virum Philosophum detulerat, scripsit, ut Virgilium, tanquam hæreticum, ab Ecclesia depelleret sacerdotioque dejiceret, nisi perversam doctrinam missam facere vellet. Tanta præjudiciorum vis!

15. Cer-

P R A E F A T I O .

15. Certè sapientis contingit ut ratio quidem aliter statuendum esse dicitur, ac olim judicavimus. At præjudicata opinio, occupans credulitatem nostram tanquam longo usu & familiaritatis jure sibi devinctam obstrepit atque ita quandoque obficit, ut ne latum quidem ungues à consuetis recedamus. Nimirū nihil est difficilius, quam evellere animis opiniones, quæ jam dudum invaluerē. Nam ut illi qui ab oculis laborant, a græ lumen conspicunt, in tenebris vero cum voluptate versantur, ita qui enotes quæcum lacte imbiberunt, difficulter eos se dedoceri patiuntur. Et simile in his videre licet, quod in illis qui alienos foetus alunt pro suis. Nam si initio ea scissent, quæ postea cognoscunt, nunquam in animum fuissent inducatur, ut pueros tollerent: sed post longi temporis educationem inviti ea audiunt quæ dicuntur, ac sibi etiam vim faciunt, ut ne credant. Ad hæc, etiam mens non assentiat amplius iis, in quibus antehac à se erratumuisse ad-

aut

b 3

ulta

P R A E F A T I O.

ulta jam ætate observat, non tamen i-
deo facile illa ex memoria sua expun-
git, & qvamdiu in ea hærent, vario-
rum errorum causæ esse possunt. Sic
ex, caus. qvoniam à prima ætate stel-
las imaginati sumus lperexiguas, etsi
jam rationes Astronomicæ perspicue
nobis ostendant, eas esse qvam maxi-
mas, tantum tamen præconcepta opi-
nio adhuc valet, ut nobis difficile sit,
aliter eas ac prius imaginari. Qvotus
enim qvisqve est qui sursum tollens o-
culos non parva valde solis & aliorum
stérin corpora sibi exhibeat, ut ut ap-
parentem solis diametrum observave-
rit ac de vera ratiocinatus fuerit qvam
sepissime?

16. Qibus ex causis oritur, qvòd
reliquo ætatis tempore ad eum judi-
candi modum, cui a teneris ungvicu-
lis qvaphi innutriti sumus, incauti nun-
qvam non relabamur. Et qvæ sic ju-
dicamus, non minori jure præjudicia-
dici queunt, qvam, qvæ infantes ad-
misimus, qvando res hoc vel illo mo-
do, se habere nobis persuadebamus

prius.

P R A E F A T I O.

priusqvm rationes ullas, qvibus id
ipsum probaretur, expendissemus. Por-
rò qvia mens jam inde usque à prima
pueritia de rebus duntaxat corporeis
cogitare fuit solita, hinc tota propemo-
dum vita etiam alia, qvæ ad cognoscendum proponuntur, sibi ut corpo-
rea repræsentat, nec qvicqvm subsi-
stere posse autumat, qvod non sit cor-
pus ex. gr. unusqvisqve nostrum na-
turali ferè impetu fertur, ut animam
suam imaginetur instar venti, vel ignis,
vel ætheris crassioribus corporis parti-
bus infusi. Nec pauci sunt ex veteri-
bus pariter & recentibus, tum philoso-
phis, tum Theologis, qui angelis cor-
pora vel cœlestia, vel ignea, vel aeria
assignant. Ac si qui verbis quidem
externis hoc negant, mente tamen vix
aliud concipiunt.

17. Et qvia non de omnibus rebus
corporeis, verùm de iis duntaxat ab
adolescentia cogitavimus, qvæ simili-
erant sensibiles, inde corpus omne sen-
sibile esse debere putamus, minime ad-
vertentes, quantum hoc pacto in re-

b 4

rum

P R A E F A T I O .

rum naturam vacuum introducamus. Et sanè ex præjudicis infantia cundi habemus aliquid, in quo Thomæ Apostolo comparandi simus, quando quidem vix quicquam existere credimus, nisi quod manibus palpamus aut oculis saltem (loquor cum vulgo) videmus. Unde formulæ illæ omnium ore frequuntantur: nihil ibi video, nihil audio &c. quibus verbis id exprimimus, nihil, nostro quidem judicio, ibi existere. Et quia prius de rebus materialibus cogitare consuevimus, quam de immaterialibus, fixa animo sedet persuasio, res illas naturâ suâ & ab illo qui recte philosophari velit, his prius esse cognoscendas. Et propter hanc ac sequenti thesi dicendam causam Metaphysica post Physicam uti inventa fuit, ita tradi vulgo in Scholis solet.

18. Præterea dum longo isto usu facilitatem nobis majorem comparasse videmur, de rebus corporeis cogitandi in eam venimus opinionem, ut res corporeas incorporeis per se cognitu esse

P R A E F A T I O .

esse faciliores arbitremur. Et quoniam res illæ solæ haec tenus cognitæ (id est corporeæ & sensibiles) & prius & facilius aliis intelligi judicantur, amplius opinamur, res illas spirituæ libus entibus longe certius atque evidenter cognosci. Unde cætera omnia per similitudinem rerum corporearum & sensibilium, aut certe per negationem earundem intelligimus, haud secus atque non entia per similitudinem aut negationem entium concipimus. De similitudine exemplum paulo ante vidimus in anima humana. Negatio vel ex eo intelligitur, quod res corporeas & materiales, sensibiles item & visibles affirmativis, incorporeas vero & immateriales, insensibiles & invisibles negativis vocabulis denotamus, quasi haec minus, illæ majus quiddam forent ac præstantius.

19. Quidam etiam à teneris de nulla re cogitare solebamus, nisi quæ corporeæ sensuum organa prius movisset, atq; affectisse philosophi decantatum illud invenireunt: nihil esse in intellectu, quin prius fuerit

P R A E F A T I O .

in sensu. Hoc eo facilius fidem mere-
tur, qvod ut thesi præcedente diximus
ab infantia præjudiciis habeamus, ut
per similitudinem aut absentiam rei
sub sensum cadentis qvælibet alia con-
cipiamus. Ac licet effatum suum po-
stea falsum esse deprehenderent, cum
ad Deum animamqye rationalem, &
similia sensum non afficientia men-
tem converterent, tamen ob invetera-
tam ita sentiendi consuetudinem ma-
lebant distinctiones mille excogitare,
qvam noxiū axioma, in solis infan-
tia præjudiciis fundatum deserere;
nempe ut illud etiam in sensu fuisse di-
ceretur, cuius effectus, aut signum, aut
oppositum &c. in sensu fuit, qva-
si qvia videre cœlum dicor, idcirco
Deum oculis videam, aut qvia vox illa,
Angelus, aurem ferit, Angelus in aure
fuisse debeat putari, aut qvia lucem
conspicio, etiam tenebras cernam. In-
super, qvia & infantes & pueri nihil in-
telligebamus, qvin simul aliquid ima-
ginaremur, *intellectionem & imaginatio-*
nem etiam dum viri sumus, pro uno eo-
demqve accipimus, nec qvicqvam in-

tel-

P R A E F A T I O .

telligibile putamus, qvin idem sit ima-
ginabile, haut scientes, ea sola esse ima-
ginabilia qvæ in extensione, motu,
figura consistunt.

20. Simili ratione, qvoniam eop-
se momento, qvo organa nostra corpo-
rea à rebus externis movebantur, mens
corpori juncta percipiebat aliquid, u-
trumqve pro uno sumentes corporeis
sensuum organis *perceptionem* tribui-
mus, qvam sapiens soli tribuit intel-
lectui: ita videre oculum, aurem au-
dire, lingvam gustare, nares olfacere,
manum sentire familiari sermone dici-
mus. Qvod verò amplius est, qvia
dum corpus à rebus externis afficieba-
tur & mens percipiebat, illico etiam
aliquid judicabat, hinc organis qvo-
que corporeis existimationem & *judici-*
num adscribimus, ad qvod sapiens cor-
pus qvidem non desiderari, at præter
intellectum voluntatem requiri novit.
Porro, dum à rebus externis corpus af-
ficiebatur, qvia mens occasione corpo-
rei motus statim aliquid cogitabat, in-
fanibili prope errore credidimus, illam

b 6

cogni-

P R A E F A T I O .

cognitionem ab objectis istis externis nos
moventibus aut per motum ipsum nobis
immitti, quam tamen mens ex propria
sua facultate producit. Ex eo etiam, quod cognitione sensuali & prius & crebrius & fere semper usi fuimus, procedit, quod illa putetur facilior, certior, evidenter intellectuali.
Sensualē cognitionem voco, quando infantes absque debita consideratione aut certe secundum infantiae præjudicia; *intellectualē*, quando proiecta jam aetate, ob novas aliquas animadversiones judicamus.

21. Certè qui ad veram Philosophiam se applicat, subinde apud animalium suum experitur, quod ea dogmata, quae consuetis nostris opinionibus mille modis certiora sunt & firmiora, minus tamen his nos trahant in assensum minusque persuadeant. Quotiescunq[ue] igitur bene aliquid a mente intelligi, vel intelligi posse, significare volumus, iis utimur loquendi modis, quibus aliquin proprio organorum corporeorum sensus (quos scilicet illis tribuimus) aut sen-

P R A E F A T I O .

sensibilia eorum objecta designantur: e.g. à *Visu* & rebus visibilibus ad intellectū & res intellectuales illa transferimus: evidens est, evidenter apparet, clare hoc video, elucet, perspicuum est, perspicax ingenium, vel cœco appareat, electro lucidior, Sole meridiano clarissimus, oratio dilucida &c. à tactu: teneo, comprehendo, rem accutango, attingo, capio mentem tuam, manifestum est &c. Ac denique si quis sensuum erret, alio sensu, non rationis dictamine errorem emendari credimus, verbi causa, dum baculus fractus in aqua appareat obrefractio (h.e. dum eo nobis apparet modo, ex quo infans judicaret illum fractum esse, & ex quo etiam nos secundum præjudicia, quibus ab ineunte aetate ad se vevimus, idem judicamus) putamus illico, visus errorē a tactu corrigi, haudquaquam animadvententes, rationem aliquam esse debere, quae nos doceat, hac in re judicio potius ex tactu, quam ex visu elicito standum esse, quae ratio cum in nobis ab infantia non fuerit, adeoque

PRÆFATIO.

non à sensu, sed ab intellectu solo pertatur, ad hujus judicium, ut supremum tribunal, semper consugiendum esse, abundè liqvet. Ita morbos animorum nostrorum primum nascentes, tum adolescentes, ac virili denique robores firmatos, & sic per universam vitam longe lateque serpentes conspeximus. Sed ut specialius præjudiciorum vim etiam in iis quæ ad naturam rei corporeæ pertinent pernoscamus, atque de his veram sententiam à præjudiciis vindicemus. Etenim Physica pro objecto habet substantiam materialem seu corpoream, hujusque sentiæ explicatio primum est illius fundamentum, quam si à pravis hominum præjudiciis liberaverimus, scientiarum amplissimæ pulcherrimæ quæ sacrarium recentioribus naturæ mystis referasse videbimus. Fiat periculum.

Sciendum itaque est multa esse quæ rebus naturalibus aut ratio judicat, aut sensus indicat, aut Philosophi credunt. Nam primo in iis agnoscitur exten-

PRÆFATIO.

extensio in longum, latum & profundum, figura quæ ex terminatione extensionis illius exsurgit, sūus quæ diversa figurata intra se habent, & motus seu mutatio istius sūus: ad quæ facile referuntur partium extra partes positio, divisibilitas, continuitas, quantitas & magnitudo; raritas item ac densitas, porositas & soliditas; locus, distantia & similia. Deinde percipiuntur in substantiis corporeis variæ qualitates sensibiles, (quæ an forte etiam ad prius enarrata reduci debeant jam non disqviro) ut lumen & colores, soni, sapores, odores, calor & frigus, gravitas & levitas, durities, & mollities aliæque tactiles qualitates. Denique Philosophi superioribus addunt qualitates occultas, easque una cum sensibilibus seu manifestis plerumque à forma substantiali, quam cuique rei naturali tribuunt originem habere decernunt.

22. Jam quæritur, in qvonam existit omnibus formalis corporeitatis ratio consistat, qvodnam sit internum illud principium, per qvod substantia

P R A E F A T I O .

tia vere est ac dicitur corporea , seu materialis , qvo posito ipsa ponitur , ablato ipsa tollitur , variato ipsa variatur , hoc est , qvānam sit positiva atque absoluta corporis *essentia* seu natura . Et qvāritur hoc non de aere , terra , auro , lapide , aliaye re corporea in specie , sed de corpore generaliter atque universe : sive parvum illud sit sive magnum , sive terrestre , sive cœlestis , seu finitum seu indefinitum , nihil interest . Facile autem liqvet , frustra eum fore , qvi pro essentia corpori formam *substantiam* hoc loco voluerit assignare . Nam illa forma , qvalis cunqve tandem esse putetur , aut materialis , aut immaterialis sit necesse est . Si est immaterialis , non potest rem materialem , qva talem , interne constituere . Si materialis , remanet qvæstio , in qvo consistat rei materialis essentia , cui qvæstioni formæ *substantialis* nomine ac notione nunquam satisfiet . Præterea si formæ nomine illud veniat , cuius beneficio corpus unum ab alio distinguitur , ea

qvo

P R A E F A T I O .

qvoque prorsus aliena erit à præfenti instituto . Neqve enim de eo nunc laboratur , qvo corpora inter se differunt , verum de illo , qvo corpora omnia unum sunt , sive qvo inter se ita convenient , ut differant ab omnibus eo qvod est immateriale . Postremo si non substantialis , sed *accidentalis* forma intelligatur , perspicuum est , eam pro rei subsistentis essentia sumi haud qvāquam posse . Sed qvid de formis accidentalibus seu accidentibus & qvalitatibus corporis statendum sit , speciatim nunc videamus .

23. *Occultas* qvidem *qualitates* nemo ad essentiam corporis constituantur facere dixerit , qvi eas pro certis agentiis potentiarum ac proprietatibus substantiam ipsam consequentibus haberi non verit . Sed velim hic diligenter annotari , qvid in qvæstione versetur , qvam orsi sumus , nempe hoc unum qværitur , in qvo nos possimus ac debemus judicare , naturam seu essentiam corporis consistere . Qvare , cum Philosophi hæc debeat esse perpetua regu-

P R A E F A T I O .

regula, ut nihil judicet unquam, nisi de re clare distin^teq^{ue} percepta, vitiis nobis verti nequit, qvod qualitates illas, qvas ipsimet earum assertores natura sua occultas esse ajunt, hac vice deseramus. Neq^{ue} erit cur offendantur, si eadem de causa substanciales qvoq^{ue} formas (qvas simili ratione cognitas perhibent) ipsis relinqvamus. Adde qvod explicatio naturæ corporeæ primum sit Physicæ principium, & qvod principii hæc sit prima conditio, ut quam maxime clarum sit & evidens, cum ex principio non evidens conclusio evidens deduci possit nulla. Ut igitur ab obscuris & oculis ad eas qualitates progrediamur qvæ manifestæ sensibiles que appellantur, duo nobis præjudicia evertenda veniunt, generale unum, speciale alterum. Generale est, qvod ab ineunte ætate cuncti existimavimus, corpus omne debere esse sensibile, ita quidem, ut ubi nihil esset, qvod sensus nostros afficeret, nullum etiam corpus esse putaremus. Ex qyo proficiuntur, ut mul-

P R A E F A T I O .

multi etiam ex adultis & doctis credant, ad corporis naturam omnino pertinere, qvod sit res sensibilis neq^{ue} illud aliter definire oportere. Speciale est, qvod præcipue duritatem & gravitatem ad corpus qva corpus requiri, infantes arbitrii suimus. Unde etiamnum matura ætate plerique omnes opinamur, plus esse corporeitatis in saxis & metallis, quam in aqua aut aere, & generatim ubicunq^{ue} plus duritiei ac ponderis experimur, plus etiam corporeæ substancialiter reperiri judicamus.

24. Jam vero ut præjudicia illa deponamus, consideremus imprimis tantum abesse, ut corpus omne sit sensibile, ut ne quidem ullum existat, qvin sit plane insensibile, sit tantum in partes nervorum nostrorum particulis multo minores & singulas seorsim sat celeriter agitatas divisum fuerit. Nihil qvippe sensum efficere in nobis potest, qvin moveat nervos membrorum nostrorum, at nervi non sunt minutissimi, sed funicularum instar ex multis particulis se minoribus conflati, nec proin-

P RÆFATI O,

promte à minutis admodum corpori-
bus moveri possunt. Ergo valde mi-
nuta corpora non sunt sensibilia? Qvis
tamen corpora ea esse neget? Si de-
monstrationem istam non capis, ean-
dem veritatem experimento disces, si
exempli gratia, filum sericū album, ru-
brū alioq; colore tinctum in quocunq;
potes filamenta dividas: Sic enim
non erit ullus color amplius in iis con-
spicuus. Qvod autem hic de colore
advertis, simili pacto ad alias sensibi-
les qualitates accomodabis. Et
quotidiana experientia docet, non mo-
do rem coloratam colorem posse per-
dere, sed etiam odoratam odore posse
destitui, sapidam sapore posse privari,
atque ita de cæteris, adeoque corpus
posse retinere omnē suam corporis na-
turam, quamvis non sit ad sensum mol-
le, nec durū nec frigidū, nec calidū,
nec deniq; habeat illam sensitiblē qva-
litatē. Et quantū in specie ad duritiam
artinet, nihil de duris corporibus sensi-
nobis indicat, quam qvod resistant ta-
ctui, sicut è contrario molle cedit tactui,

unde

P RÆFATI O.

unde nobis Weitch à Weichen/ cedere,
appellatum. Jam si manus vel aliud ex
membris nostris versus aliquam par-
tem moveretur, & corpora interim o-
mnia ibi existentia recederent eadem
celeritate, qva manus nostra accedit,
duritiam certè nullam sentiremus. Sed
an ideo corpora sic recendentia natu-
ram corporis amississe cogitare liceret?
Et qvid est manifestius, qvam rem
mollem posse indurari, duram emol-
liri, non amissa nec propter hoc, nec
propter illud corporis essentia? Si mol-
le illud est, qvod facile cedit tactui,
quid mollius aere? At includatur ve-
sicæ, durus erit, resistet enim tactui.
Frumentum durum est, conteratur in
farinam, erit molle. Farina comping-
gatur in saccum, erit durior, disper-
gatur postea per aerem, erit mol-
lissima. At ponamus semel, cor-
pus omne esse sensibile, nec posse sen-
sibiles omnes qualitates simul à cor-
pore tolli, quamvis hæc aut illa aufe-
ratur, natura ejus integra remanente,
an inde efficietur, corporis essentiam in
sen-

P R A F A T I O .

sensibilitate consistere? Nullo modo. Nam quid aliud est sensibilitas quam externa corporis sensibilis ab habitudine ad sensus humanos petita denominatio? Quid autem respectus ille ad positivam atque absolutam, quam solam querimus, corporis essentiam? Quasi vero corpus esse nullum posset, nisi homo, nisi sensus essent.

25. Postquam ita cognovimus, nullum sensibile, quatenus tale, ut corpus vere sit corpus efficere, examinem porro, an quid intellectu clare ac distincte queat percipi, quod corporis essentiam constituat atque absolvat. Certe quae supra recensuimus clarunt ac manifesta omnia, nihilque amplius inquirendum restat, quam quid ex illis primum sit & potissimum & quasi radix ceterorum. *Situs* autem adeoque locus, distantia & *motus* figuram presupponunt, ut communiter agnoscant Philosophi. Ad figuram vero pertinent raritas ac densitas, porositas ac soliditas. Nam ut ratione exterioris configurationis cor-

P R A F A T I O .

pori tribuitur levitas vel asperitas: ita ratione interioris schematismi & configurationis partium porosum dicatur, aut sine poro hoc est, solidum. Porro raritas ac densitas non nisi in pororum dilatatione & imminutione vel totali sublatione consistunt, ut postea uberior explanabitur. *Figura* vero ipsa, extensionem presupponit, ex cuius terminatione resultat, & si extensem interminatum cogitemus, nullam ejus figuram agnoscemus. Concipere enim possumus figuram omnem auferri ab aliquo corpore, nempe sublato illius & contiguorum motu (sic enim nulli relinquentur extensionis termini adeoque nec figura) vel etiam ab omni corpore, supposita una cum universali quiete interminata mundi extensione, de qua suo loco ageamus. Sicque dupli argumento discimus, in figura non consistere essentiam corporis, tum quia tolli ab ea potest, tum quia ut ut tolli non posset, extensionem presupponit.

P R A E F A T I O .

26. Ad extensionem referebamus partium extra partes positionem, continuitatem, divisibilitatem, quantitatē magnitudinem: nunc penitus inspicimus, quidnam ex his primum sit in conceptū nostro, qvid in corpore intīmum, qvid denique maxime positum atqve absolutum. Illud enim solum meritissimo jure essentiam corporis vocabimus. Evidem si triista, extensionem, quantitatem, magnitudinem pro re eadem velit sumere neqve aliud hoc vocabulo, aliud illis designari pertendat, nolim cum ei contentionis servam diu reciprocari. Attamen si lubeat rem pensculare subtilius, non videtur omnino negari posse, extensum esse qvid in corpore magis absolutum, quantum vero & magnum magis esse respectiva, quandoquidem ut quantum ad tantum, ita magna ad parvum referatur. Neq; ipsa quantitatis appellatio aliud menti exhibet, quam certam determinationem & mensuram extensionis. Hoc enim si bi vult quæstio, qua rogamus, quantum

P R A E F A T I O .

tum? Ideoqve prior est & potior extensionis quam quantitatis conceptus. Qvod multo magis de magnitudine etiam dabunt Philosophi, qui etiam speciem quantitatis faciunt. Porro divisibilitas præreqvirit extensionem, estq; corpus divisibile, quia extensum, non vero extensum, quia divisibile. Divisionis quoqve conceptus negatus, extensionis non item. Qvod vero partes habeat corpus, quorum una sit extra aliam posita, nec una possit penetrare alteram, sed cum ea per extremitates suas juncta continuum faciat &c. totum illud in relatione positum est atqve insuper divisionis ac terminationis conceptum, utrumqve negativum, præsupponit. Quid ergo remanet præ ceteris positivi atq; absoluti? *Extensio:* extensio est quæ essentiam corporis constituit, quæ sola à corpore divelli nequit. Quamvis enim in extensione habitudinem partium ad invicem facile comprehendamus, possumus tamen extensionem optime concipere, et si de illa habitudine nequam

P R A E F A T I O .

quam cogitemus, & possumus concipere corpus indefinitum atque interminatum, in quo nihil præter extensionem consideretur. Extensio igitur essentia corporis est.

27. Qualis vero extensio? In longum, latum & profundum, quam ex fluxu superficiei provenire cogitat Geometra. Neque alia extensio sub cogitatione humanam cadit, præter eam quæ in longitudine, latitudine & profunditate consistit, tametsi nunc unam ex istis dimensionibus solam; nunc duas, nunc omnes pariter attendamus. Tandem extensionem intelligimus, à quâ divisibilitate, figura, situs & alia dependent, ad quam reducuntur omnia quæ sunt in corpore. Sed adhuc videtur, hominibus conceptus ille corporis nimis esse Mathematicus, nimis abstractus, vellent Physicum quidam magis reale & substantiale. Ecquid mirabar & aptissime sic definiri arbitrero desiderant, quid petunt amplius? An durum quid & palpabile & ponderosum? Nempe assidue occurserunt tuidinem vero tantam non accepere, conservatae opiniones tantamque à te-

P R A E F A T I O .

neris annis nobiscum familiaritatem contraxere, ut ipsi cedere veritati recusent. At rejectæ jam sunt, refutatæ sunt. Quid ergo restat nisi ut manus dent adversarii, & extensionem pro vera essentia corporis agnoscant? Puntantne, sicut vulpes elusa à ciconia, se lambere vas vitreum, pultem non attingere? Habent pultem, qua saturari possunt ac debent, refrenent aliquando cupiditates immodicas, quod appetant reliquum! est nihil, omnia enumeravi, omnia ordine perlustravi, inveni tandem extensionem, eam realem, substantialem, denique essentiam corporis esse contendeo. An tenuenim aut reale minus illis est, quod dominus Moses in creationis historia Extensionis seu Expansi nomine describit? Atqui ego quidem illud ut potentissimi Creatoris amplissimum opus ad-ut cum immensa cœlorum machina-

P R A E F A T I O .

comparari possent. Hanc itaqve (qvi ppe qvod præcipuo jure meretur) extensi seu expansi, id est, universali corporis nomine ac notione sacræ paginæ denotare volunt.

28. Sed usqve oggeritur, aliud esse *corpus Physicum*, id est de categoria substantiæ, aliud *mathematicum*, qvod est de categoria quantitatis, me qve fucum facere, hoc pro illo obtrudendo. Ecce novum præjudicium ad qvod tamen non tam cœco judicandi impetu sponte prolapsi, qvau à præceptoribus pueritiæ nostræ ad ducti fuimus. Nimirum simul ac primis Lycei sacris initiati sumus, decem esse rerum classes audivimus, ei illis substantiæ primam, quantitatis esse secundam, duo illa distincta esse rerum genera, extensionem corpori convenire non ratione substantia, sūa, sed ratione quantitatis &c. Sic docebant Præceptores nostri, neq; minus sāpe illud accinebant: dissentem oportet credere. Nunc vero postea qvam non qvidem ex dissentium, sed

P R A E F A T I O .

tamen ex eorum numero, qvos oportet credere, esse desivimus, proprio uti judicio licere nobis existimamus. Qværo igitur ab illis & percunctor, qvid per substantiam intelligent, dum illam à quantitate & extensione distingvunt? Ecqvænam ista est substantia, à qua extensionem cogitatione divulserunt? An corporea? Nihil minus: quid enim in ea concipi potest qvod corpus redoleat? Motus abest, figura, situs, locus, magnitudo, ablata sunt raritas, densitas, longitudo, profunditas, denique omnia desunt, qvæ à Deo materiali substantiæ fuerunt attributa, qvæqve voluit. Conditor optimus percipi ab homine, sapientiæ suæ spectatore. Respondeant jam illi, qvid concipient? Protecto id vel nihil omnino est, vel si aliquid est, præter confusum substantiæ incorporeæ conceptum (qvem falsissime tum corporeæ tribuant) nihil esse potest. Dicā qvod res est: habent verū substantiæ corporeæ conceptum, qvo extensionē apprehendunt,

P R A E F A T I O.

sed eam deserunt tanquam ignobilis
accidens (nam qualitates multoque
magis formas substantiales quantitatibus
preferunt) pulchrius aliud & solidius
& essentiale magis (quod revera ta-
men subest nullum) expetentes, simi-
les cani Æsopico, qui carnem ore te-
rebat, sed umbram captans non modo
nihil novi acquisivit, verum etiam il-
lud quod habebat perdidit.

29. Verum enimvero, nondum id
effecimus, ut quiescant adversarii,
quin potius à categoriis, tanquam
vestibulo Philosophiae suæ depulsi ad
naturalis scientiarum castra se recipiunt
ut Physicæ nostræ fundamentum ever-
tant, è Physica petitis armis pugnatū-
ti. Obtendunt igitur rarefactionis &
condensationis experimenta. Si substanciæ
materialis, inquit, essentia in
extensione consideret, qui fieri pos-
set, ut corpus aliquod absque nova
materiæ appositione plus extensionis
acquireret? At cernimus, verbi causa,
quam resolvi in vaporem, augetur
extensio, nova substantia ne hilum
quidem accedit. Iterum vapor in a-

quam

P R A E F A T I O.

quam cogitur, extensio minuitur, sub-
stantiæ tamen ipso nihil materia detra-
hitur. Variatur ergo & mutatur ex-
tentio, substantia manet eadem, neque
que proinde substantia est extensio.
Laudo conatum, quo Φυσικώτερα
nonnulla aperiendi occasio nobis da-
tur. Principio repetendum memoria-
que semper tenendum est, quod supra
monebamus, Philosophi non esse de re-
bus naturali lumine cognoscendis quic-
quam pronunciare, nisi quod clare
prius distincteque percepit. Atqui
nihil in rarefactione & condensatione a-
liud contingere percipimus, quam
figuræ mutationem, ita scilicet, ut ra-
ra corpora illa sint, inter quorum par-
tes multa intervalla existunt corpori-
bus aliis repleta, & per hoc tantum
densiora reddantur, quod ipsorum
partes ad invicem accedentes inter-
valla ista imminuant, vel plane tollant:
quod ultimum si aliquando contingat,
tunc corpore tam densum evadit, ut repu-
gnent ipsu densius reddi posse. Atqui non
ideo minus tunc extensum est, quam cum
partes habens a se mutuo dissitas, majus

PRÆFATIO.

spatium amplectitur : qvia qvicqvi extensionis in poris sive intervallis partibus ejus relictis, continetur , nullo modo ipsi tribui debet , sed aliis qvi busvis corporibus, à qvibus intervalla ista replentur. Ut cum videmus *spongiam* aqua vel alio liqvore turgentem , non putamus ipsam secundum singulas suas partes magis extensam , qvam dum compressa est & sicca ; Sed tantummodo poros habere magis patentes , atqve ideo per majus spatium esse diffusam.

30. Quid vero causa sit, cur de hoc spongiæ experimento recte ab ineunte aetate judicaverimus , de reliquis autem plerisque rarefactionum exemplis præjudicia foveamus erronea, facile intelligere ex iis qvæ superiori disputatione proposuimus. Nempe in spongia videbamus poros, videbamus eos ampliores reddi, videbamus novum corpus ad illos replendos accedere qvæ tria cum in cæteris non ita observaremus , ideo nec esse credebamus. Adeo sensibus eramus mancipati, ut ab illorum solo testimonio ajetia pariter & negantia argumenta-

con-

PRÆFATIO.

confidentissime duceremus : Video tale, tantum. Ergo est tale , tantum. Non video, ergo non est &c. Sed pudeat viros, supra vulgus sapere cupientes, adeo, etiamnum præjudiciis infantia suæ adhærere, ut iisdem, qvibus oculi corporis, rationis oculum angustiis terminari opinentur. Considerent, si placet rarefactionem & condensationem se perfacile modo explicato, non autem alio ullo fieri posse percipere. Considerent etiam, non tam esse rationi consentaneum , aliquid non intelligibile effingere ad corporum rarefactionem verbotenus explicandam, qvam ex hoc, qvod rarefunt, concludere , in iis esse poros seu intervalla qvæ ampliora fiant novumqve corpus accedere qvod ipsa impletat, et si hoc sensu non percipiamus , ut nec sensu deprehendimus, qvid quantumqve crescenti arbori singulis horis adjiciatur, cui tamen continuo aliquid adjungi, quo major redatur, dubitare nequimus.

31. Considerent denique qvanto melius sit, ad exemplum eorum qvæ

c 5

in

P R A E F A T I O .

in magnis corporibus accidere sensu percipimus, judicare de iis quæ accidunt in minutis corpusculis, ob solam suam parvitatem sensum fugientibus, quæ ad hæc explicanda nova quædam, nullam cum iis quæ sentiuntur similitudinē habentia, excogitare. Quod autem diligentius advertant, quid in rarefactione majorum corporum contingat atque inde paulatim de minoribus judicare assuescant, age jam in medium experimenta quædam obvia & facilitia producamus, ut si qui sensibus nimium confisi nondum rationem audire velint, ipsis etiam sensibus quodammodo redarguantur. *Panis* bis coctus, qui est magis compactus reliquo pane, vino aut lacti intritus quanto per eum per horum corporum in poros suos admissionem dilatetur, nemo non potuit reprehendere quædam sapissime. Nec tamen qui attendet, majorem hic ipsi pani extensionem tribuit, sed potius ex pane cum humidiore corpore, quod in poris latet, composito, tertium quid ornatum esse judicabit, cuius extensio

major

P R A E F A T I O .

major sit, quam panis erat ab illo humido liberi. Quod autem hoc majus extensem, ex pane & lacte compositum, panis fere nomen retinet, id neminem movere potest, nisi qui sermonis usum à rei veritate distingvendum esse inficias iverit.

32. *Lignum*, pane licet durius fit, simili tamen modo cum aëre vel aqua vaporibus aquæ pleno, qui in poros ejus se insinuans partes ejus distendit, majus quoddam extensem componit; unde valvae in aëre humido interdum aperiri & claudi non possunt, & doliorum aseres, quibus exsiccatis dolia rimosa evaserant, aquæ immersi dilatantur. Durissimum *ferrum* est, ignis autem minimè, & tamen ab hoc illius pori ad eò augmentur, ut partibus à se invicem recedentibus ipsum non modo ductile fiat, sed etiam in majorem locum protendatur. Accipe enim ferrum oblongum eique bacillum ligneum adæqua quam potes accuratissime; tum ferrum in validum ignem conjice, ut totum incandescat: denique forcipe exemptum

c 6

ligneo

P R A E F A T I O.

ligneo illi bacillo vicissim applica: videbis notabili ratione ferrum excrevisse & bacillo longius evasisse sensu ipso deprehendes. Si jam idem ferrum frigefieri patiaris, redibit ad pristinam quantitatem. Quodque de longitudine hic observasti, in latitudine quoque & profunditate poteris, par enim hæc in parte dimensionum omnium est ratio. Et nota, quamvis ferrum jam longius evasisse, jam ad pristinam quantitatem rediisse vulgari loquendi confuetudine dicamus, non tamen intelligi revera quicquam illi magnitudinis vel accessisse vel decessisse. Quantum ad *vapores* attinet, quorum exempla nitebatur objectio, in illis non percipitur major extensio majorve quantitas, quam fuerat aquæ non resolutæ, cum nihil aliud hîc fiat, quam partium aquæ proprius antè conjunctarum solutio, divisio, remotio, quod ipsum resolutionis vocabulum apertè indicat. Adspice vapores ex aqua ad ignem calefacta ascendentis aut fumos è pice vel ligno accenso ortos procul remo-

tus

P R A E F A T I O.

tus, continua vel contigua corpora existimabis, at proprius accedens diligenter intuens vix nullam in his continuitatem vel contigitatem notabis. Nempe vapores, fumi, nebulæ, nubes, denique exhalationes omnes nihil aliud sunt quam innumerorum certi aliquius generis corpusculorum congregries, multis heterogeneis corporibus intercurrentibus atque illa à se mutuo separantibus.

33. Quamobrem per hæc & similia exempla non magis probatur, maiorem esse corporis rarefacti quam ejusdem condensati propriam extensio:ne, quam ex eo, quod rete, quod prius erat convolutum, nunc in aqua sit expansum, probatur majorem illud extensionem acquisivisse: quod erat demonstrandum. Firmiter igitur statuantur, planè fieri non posse, ut aliquid novâ quantitate vel novâ extensione augeatur, quin simul etiam nova substantia extensa, hoc est, novum corpus ei accedat, neque fieri posse, ut vel minimum quid ex quantitate aut exten-

c 7

sione

P R A E F A T I O.

fione tollatur, quin tantundem etiam de substantia detrahatur. Utque omnis de possibili extensionis mutatione non mutata substantia dubitandi occasio præcidatur, notandum est, quod *extensio dñobus modis spectari possit*: 1. ut constituens naturam substantiae corporeæ, tuncq; non aliter concipi debet quam ipsa substantia extensa. 2. ut modus substantiae, quatenus scilicet unum & idem corpus v. g. cera, retinendo suam eandem quantitatem substantiale m̄q; extensionem, pluribus diversis modis potest extendi, nunc scilicet magis secundum longitudinem minusque secundum latitudinem vel profunditatem, nunc ē contrario magis secundum latitudinem minusque secundum longitudinem &c.

34. Eversis hunc ad modum de refactione & condensatione præjudicis, alia succedunt, difficultates haut minores in agnoscenda essentia corporis parientia. Tale est consveta hominum de *spatio*, seu vero, seu imaginario, cogitatio atque oratio, quæ contra nostram

P R A E F A T I O.

stram de extensione doctrinam hujus-
mo insurgit arguento; ubiunq; nihil aliud esse intelligitur quam ex-
tensio in longum, latum & profundum,
non corpus, sed spatiū concipitur,
adeoque positā extensione solum po-
nitur spatiū. Atqui spatiū non est
corpus, (secus enim corpus in spatio
esse, spatio contineri &c. dici non pos-
set) sed vel res à corpore diversa est,
vel potius (ut plerorumque est opinio)
merum nihil est, fictum plane & ima-
ginarium. Si ergo non corpori, si me-
ro rationis enti, imò non enti extensio
tribuitur, non poterit ea pro gemina
corporeæ rei essentia venditari. Quasi
vero hic Phylax non esset verus canis,
eo quod naturam canis per fictionem
intellexit Cerbero Poetæ tribuant. Ita
responderet fortassis aliquis vulgaris
Philosophiæ consultus. Nos, ut me-
tam præstitutam assequamur, in alia o-
mnia abeentes, negamus, ullum spati-
um concipi posse, nisi reale & verum &
corpore plenum, dicimusque non ma-
gis fictum vel imaginarium esse spati-
um,

P R A E F A T I O.

um, quām est corpus ipsum; immō spatiū & corpus idem esse. Quod ut manifestū evadat, *inter realia entia & rationis figmenta quid intersit* videamus. Nimirū conceptus illi qui non continent veras & immutabiles rerum naturas, sed fictitiā dūntaxat & ab intellectu compositas, ab eodem intellectu non per abstractionē tantū, sed per claram & distinctam operationē dividī possunt, adeo ut illa quā intellectus sic dividere non potest, non debeat judicari ab ipso esse composita. Ut exempli causā, cūm cogito equum alatum vel montem aureum, facile intelligō, me etiam ex adverso posse cogitare e. qvum non alatum, montem non aureum, nec proinde illa veras & immutabiles naturas obtinere. Si verò de spatio cogitem, attendendo ad id quod cogito, non possum non intelligere illud esse extensum & omnino oppositū in apposito statuam, si illud non extensum cogitavero. Ac proinde extensio non per figmentū intellectus spatio tribuitur, sed vera illius est &

P R A E F A T I O.

immutabilis natura, eademque prorsus est natura corporis, veluti abundē est ostensum. Sed homines ob perpetuam circa ea quā non sunt, mentis agitationem adeo sunt figmentis asfveti, ut non raro etiam ea figmentis suis accenseant, quā vera sunt & realia, sicut illi qui crebrō somniare solent, interdum etiam qvod vigilantes cogitant somnium esse sibi persuadent.

35. An ergo nulla plane *inter spatiū & corpus est differentia?* In re certe nulla, sed *in modo tantum concipiendū*. Nam extensionem spatii consideramus, ut communem & genericam, extensionem verò corporis, qvod in spatio esse dicimus, spectamus ut singularem & individuam: v. g. sublato lapide ē spatio vel loco in quo est, putamus etiam ejus extensionem esse sublatam, ut pote quam ut singularem, ut ab ipso inseparabilem spectamus; sed interim extensionem loci, in quo erat lapis, remanere arbitramur, eandemque esse, quamvis jam ille locus lapidis à ligno, vel aere, vel alio quovis corpore occupeatur,

P R A E F A T I O.

Petur, quia h̄ic extensio consideratur in genere, censeturque eadem esse lapis, ligni, aeris [alteriusve corporis] modò sit ejusdem magnitudinis & figuræ servetque eundem situm inter corpora externa, quæ spatium illud determinant. Quare eadem est extensio, quæ naturam corporis & naturam spatiū constituit, nec magis h̄ec duo a se mutuò differunt, quam natura generis aut speciei differt à natura individui. Et quemadmodum totum dicitur continere partes, & partes omnes unitæ dicuntur esse in toto, etsi totum & partes omnes simul unitæ, unum planè & idem sint: ita quamvis spatiū dicatur continere corpus & corpus esse dicatur in spatio, non tamen idcirco spatiū & corpus realiter differre existimabit constans veritatis investigator, neque à loquendi usu, cuius præjudiciorum tenebris obseptum vulgus Author & magister est, imponi sibi patietur.

36. Cæterum, si diverso philosophandi modo assveti hactenus proposita vo-

lue-

P R A E F A T I O.

luerint examinare, & qvæ ex iis consequuntur indagare, facile opponent nobis, miras & novas è sententia nostra consequentias fluere. Nam si res ita se habet, ut spatium & corpus & extensio sit idem, si, qvodcunqve potest spatium concipi, reale est & verum & corpore plenum, conficietur inde I. plane repugnare dari Vacuum seu spatium sine corpore, cum tamen Philosophi ad hunc usqve diem sat egisse se putaverint, qvod ostenderint, naturam in mundo vacuum non admittere, qvi vero eo usqve processerit, ut Vacuum, ubi statuat, contradictionem dixerit implicare. repertus qvod sciam fuit nemo. II. Colligetur inde, in Mundo, sive in hac substantiæ corporeæ universitate nullos extensionis fines posse à nobis agnoscí, qvoniā ultra qvoslibet assignatos fines semper spatia occurrunt extensa adeoque corpore plenæ; cum tamen Philosophi de terminis & figura mundi de qve spatiis extra mundi fines imaginariis differere consvererint. III. Concludetur, universum continuo extensum non nisi unum

PRÆFAT I O.

unum cogitari posse, adeoque *plur*
esse mundos itidem *contradictionem impl*
care. Nam substantiam extensam
 corpoream omnia omnino spatia ima
 ginabilia, in quibus plures illi mundi
 fingi possent, jam occupare, clare e
 ante dictis intelligimus. Neque po
 sunt plura cogitari extensa à se invicem
 separata, nisi inter ea concipatur spa
 tium intermedium quo distent. Atq
 spatium, uti dictum, est extensio, & di
 stantia est modus extensionis, cui modi
 prorsus adversatur extra subjectum
 quod extensum sit, reperiri, sicut ip
 extensioni repugnat esse in non corpo
 re, cum sit essentia corporis.

37. Hæc vero de impossibili Mundo
 rum multitudine sententia nondum
 audita fuit in Scholis Philosophicis
 Quid imo sapientiores, Aristotelicarum
 rationum imbecillitatem agnoscentes
 neq; alias in naturæ libro scripta inve
 nientes, semper existimarent, Mundus
 unitatem non nisi ex sacro codice de
 monstrari posse, Deoque & esse & fuisse
 possibile, plures uno Mundos conde
 re

PRÆFAT I O.

re, cum tamen ea quæ contradic
 tionem involvunt, neutiquam divinæ o
 mnipotentiae objectis annumerentur.
 Quid ergo ad ista omnia? Agnosco il
 las consequentias adeo necessarias, a
 deo evidentes, ut vix ullam Mathemati
 cam demonstrationē certiorē dari posse
 confidam. Qvod eqvidem, nisi nimis ex
 cresceret præsens disputatio, plenius
 planiusque exponere esset in pro
 clivi. Sed nec valde opus esse ju
 dico, cum attendenti cuncta ista sint
 perspicua, iis vero qui attendere ac
 meditari aut non possunt aut non vo
 lunt, nihil unquam satisficeri potest. Unum
 dico, non esse cur ullo modo succen
 seant nobis Philosophi, quod ea vel ex
 uno Physicæ nostræ principio lucu
 lenter adeo videant esse demonstrata,
 quæ ipsi per sua principia, utut omnes
 eorum copias explicarent, demonstra
 re satis nondum valuere.

3. Deinde considerandum iis
 propono, satisne sibi constent,
 satisne de Deo magnifice, satisne
 desemetipsis demisse sentiant, qvan
 do ex una parte de mundi termino ac
 figu-

P R A E F A T I O .

P R A E F A T I O .

figura definiunt, & fines eorum quae Deus creavit, suo quidem judicio egradientes, quasi jam universa anima complexi, infinitum vacuum, in quo plures miudi collocari possint, sibi representant. Ex altera vero parte essentias & formas rerum homini incognitas asseverant. Videant autem ibi, ne superbæ forsitan arrogantiæ insimulentur, quando limitatam valde intellectus sui potentiam ad plura & majora extendere volunt, quam suam extenderet voluit omnipotentiam Creatoris maximus. Caveant autem hic nec de missos præ se animos ferentes optimi Conditoris bonitati detracatum eant, quasi ille formas & quod pulcherrimum in rebus est, absconderit, sola accidentia & umbras rerum locarit in propatulo.

39. Retorquunt illi nos multo magis divinæ infinitati derogare, mundum faciendo infinitum in secundo nostro consecratio, atque in tertio Dei omnipotentiæ limites ponere, quasi illa sit unius Mundi creatione sic exha

sta, ut plures non valeat efficere. Quantum ad prius attinet, observent boni viri, nos si mundum infinitum dicemus extensione sola, non ideo Deum facere, quem solum perfectione novimus infinitum. Sed nego aliud è sententia nostra, quam Mundum esse infinitum, Deum absolute *infinitum* intelligimus, quatenus ad naturam summiens pertinet infinitas, & omni ratione talem prædicamus, intellectu, voluntate, potentia, duratione &c. Mundus vero num ulla ratione infinitus sit nec ne, profitemur nos nescire, scimus tantum nos in illo sub aliqua ratione, nimisrum quatenus est extensus, finem non invenire, a tunc idcirco respectu nostri dicimus *indefinitum*. Ita quamvis Philosophi sibi permiserint, ut appellationem infiniti aliis etiam rebus impertirentur (ut quando de numero infinito, de linea infinita, &c. disputant,) nos tamen, ut de supremo Numine quam possumus religiosissime loquamur pariter & sentiamus, infiniti nomen ipsi soli reservavimus.

40. Qyan-

PRÆFATIO.

40. Quantum ad posterius, cum sci-
mus intellectum nostrum esse finitum
Dei vero potentiam infinitam, nobis
quidem in more positum non est quic-
quam de hac determinare, considera-
mus duntaxat, quid possit, & cavemu-
diligerter, ne judicium ullum no-
strum à perceptione dissentiat. Qapro-
pter audacter, affirmamus, Deum posse
id omne, quod possibile esse percipimus
non autem è contrario audacter nega-
mus illum posse id, quod conceptui no-
stro repugnat, sed dicimus tantum, con-
tradictionē implicare. Et hæc sunt quæ
præfationis loco præmittere consultul-
duximus. Nunc lectores cordatos quan-
ta possum modestia precamur, ut si sensus
animi nostri candide expromsimus
si quid etiam urbanusculi lusimus,
ne accipient in deteriorem partem se
hac vice illud solum expendant, quæ
multa & quanti sint momenti, quo
rum hic promittitur explicatio.

Vale & his mecum, utere.

§(o)

PHYSICÆ
CONTRACTÆ
PARS GENERALIS.

Prolegomena.

Ta nobiscum compara-
tum est, ut, quia multis ex iis
rebus corporeis in omni vitæ
parte egemus, quæ nobis, vel
animo ipso recusante obveni-
unt, ne ab ipsa quidem infantia illarum
judicio supersedeamus.

2. Quia verò ea ætate vis animi exigua
est, judicium nostrum, si non est omnino
falsum, ad minimum nihil certi habet.

3. Tale est de *quantitate*, quando judi-
camus, quamlibet rem sua magnitudine
sensui nostro respondere, ut solem quasi
pedalem esse.

4. Sic de *qualitate*: judicantes res sen-
sui nostro dissimiles non esse, ut Lunam
instar disci se habere.

A

5. Non

5. Non absimile serimus judicium, de ipsa *existentia*: arbitrantes non esse, quæ sensus nostros fugiunt, ut Aërem nihil re esse.

6. Quia autem hasce opiniones in tempestive effectas *Philosophia naturalis* nobis, à veris principiis ad minimè dubitatem duçendo, eximat;

7. Non solum non *paradoxis*, hoc ei inopinatis vacat, verum iis majorem partem constat.

8. Proinde, ut rerum naturalium scien-
tia paretur, è re illud erit, ut veteri judi-
cio deposito, ingenio validi ac solertiore
denuò judicemus.

9. Sed novum illud *judicium* à rebus
nisi antea fuerint perceptæ, obstinata
vocandum,

10. Neque iis, quæ sensu quodam in-
dice accepisse videmur, acquiescendum
est, nisi addito *rationis* omnia rite exami-
nantis calculo.

11. Nam ut alia taceant, per *rationem* seu
intellectum est judicandum, an sensus in
suâ naturali dispositione sint constituti, ut
appa-

appareat, quid in rebus per sensus oblatis
revera percipiamus.

12. Peropus itaque est, rerum natura-
lium cognitionem quoad ipsam naturam
tam in genere quam in speciebus noscere,

13. Atque à primis earum *Principiis & Causis*, iisque tam claris & evidenteribus deducere, ut ingenium humanum acquiescat de eorum veritate, quando se cum at-
tentione ad illa consideranda applicat.

14. Quod feliciter præstat hodierna
Physica nostra haud vulgaris.

15. Quæ omnia à primis *Principiis* ma-
nifesta deductionis consequentia deri-
vat, nihil admittens, nisi quod vel per se
clarè & distincte fuerit perceptum, vel
ex claris notionibus per apertam & per-
spicuum Consequentiam deductum.

16. Unde *Prajudicia Infantia & sensu-
um errores vulgari notitiâ haustos
sponte sua cadere o-
portet.*

CAPUT I.

De Philosophiæ Naturalis essen-
tia, ac certitudine.

17. **D**uplex est ordo docendi atque ex-
plicandi res.

18. Unus qui vocari solet naturæ, do-
ctrinæ, vel didascalicus.

19. Proceditque per præcepta, defini-
tionem, divisionem ac canonem.

20. Alter arbitrarius, atque insuper ha-
bet & neglit definitiones, divisiones
Canones.

21. Prior servari solet à Scriptorib⁹
Systematicis, ut Regio & Heerebord. Po-
sterior ab Aristotele, Cartesio & aliis.

22. Prior §. 18. iterum dupliciter con-
sideratur, vel ut via compositionis, ut quan-
do ex Principiis & partibus, genere & ob-
jecto, ante probatis colligitur tota defi-
nitio.

23. Vel consideratur ut via resolutio-
nis, quando prius ponitur Definitio, ea-
in partes resolvitur.

24. Nos viam posteriorem tenemus, po-
nentes primo definitionem, quæ sic se ha-
bet.

25. PHI-

25. PHILOSOPHIA naturalis, quæ
vulgo Physica dicitur, est rerum natura-
lium scientia.

26. Distinguenda ergo est à Super-na-
turali, ratione subiecti, seu Metaphysica.

27. Imo etiam à Rationali seu Logica.

28. Nec non à Morali seu practica, i. e.
Ethica, Oeconomica, & Politica.

29. Fundatur tamen in Metaphysica,
quatenus sumitur pro tali doctrina, quæ
est principium omnis cognitionis huma-
næ, ut à Cartesio.

30. Estetiam post Metaphysicam fun-
damentum Logicæ,

31. Atque omnis Ethicæ, maxime Me-
dicinæ, Chemicæ, plurimumque artium.

32. Neque definit esse scientia, eo quod
agat de re mutabili.

33. Potest enim de objecto mutabili co-
gnitio esse immutabilis.

34. Hæc scientia accurato studio tra-
stanta est, ut naturæ nos veluti Dominos
efficiat, & ad Creatorem elevet.

35. Ut sic Practica dici queat.

36. Res naturales §. 25. sunt, quæ na-
tura sunt præditæ.

37. Natura autem est internum, sive
essentialis, corporeumque agendi, patien-
di, & essendi principium.

38. Hæc duplex est: Materia rerum na-
turalium earumque forma.

39. Corpus naturale spectandum venit
tam in Genere, quam in speciebus.

40. Unde efficitur, ut Physica partibus
generali ac speciali absolvatur.



CAPUT II.

De Materia universe considera-
ta, qua spacio nullum
vacat.

41. **M**ateria rerum naturalium est na-
tura, in corpore simpliciter se
universè considerato, consistens.

42. Natura seu essentia Corporis gene-
ratim spectari est, quod sit res in longum
latum & profundum extensa.

43. Ea extensio in re aliqua inest. Ne-
mo enim tria hæc, longum, latum & pro-
fundum attribuat non enti.

44. Deinde nulli rei nisi corpori inest.

45. Nam

45. Nam res materia omnino expers,
hoc est res intelligens, ac volens, neque
longi, neque lati neque profundi quic-
quam habet.

46. Si qua verò res intelligens dicatur
extensa magnave, ut si Deum maximum,
Virum aliquem summum appellas, hoc
sit *Virtus quantitate.*

47. Cavendum itaque ne *quantitatem*
molis, quam spithamis, ulnis, pedibus me-
tiri licet, hic §. 46. interpreteris.

48. Atque hæc extensio, in omni corpore & semper quoque in statu inest.

49. Cupis exemplis hanc rem edoceri?
En glaciei in undas redactæ durities eva-
nescit. Figura iterum, atque iterum im-
mutatur. Undæ si in vapores extreme te-
nuitate dissipantur, nihil gravant, neque
oculos non fugiunt. Vapores in undas
rursus coadi calere atque exiles desinunt
esse. Verum enim vero extensionem hanc
seu molem corpoream, mutationum ejus-
modi quasi sedem ac receptaculum, ne-
que à glacie neque ab undis neque à
vaporibus abesse deprehendes unquam.

50. Quare in promptu est, quod visibilis durum, grave, rotundum atque ejus generis alia ad corporis generatim considerat essentiam non pertineant,

51. Quandoquidem citra illa corpus aliquod existat, verum citra extensionem haud ullum.

52. Imo ne minimum quidem, quo extensione bac sit prius, inter propria re corpora, rimando mens nostra exegi taverit.

53. Extensio hæc in corporibus definita vocatur *dimensio*.

54. Ex quo illud tritum: Dimensionum penetratio non datur, hoc est, nihil extensi idem illud spatium, quo aliud extensem continetur, ingredi potest.

55. Sed, quia ipsum quoque spatium extensem est, in questione ponitur, quo modo illud à corpore differat.

56. Et quomodo dimensionum penetrationi locus negatur, si corpus sit in spacio, hoc est extensem in extenso.

57. Resp. Si rem ipsam proprius intueris, deprehendes extensionem spaciis alienam ab extensione corporis, neutiquā esse

58. Cūm

58. Cūm materia seu corpus in genere idem revera est quod spatium.

59. Satis tamen distingvi potest spatium à corpore ibi contento.

60. Nam in illo spectatur extensio in genere, ut indeterminata & semper manens.

61. In hoc ut singularis, & determinata ad hanc rem, cumque ea accedens ac recedens.

62. Ut res exemplo expediatur: in vase quodam extensio generaliter considerata æqua permanet, quamvis nunc vini, nunc aëris, nunc aliis corporis, quo per vices impletur ac depletur, extensio specialiter dicatur.

63. Quare spatium philosophica significatio *vacuum*, hoc est, ubi ne quicquam longi, lati & profundi existit, non datur; imo nec dari potest naturæ viribus.

64. Interim non inficiamur dari posse spatium, in quo nec existat ignis, nec aëris, nec aqua nec terra, nec quicquam ex his compositum.

65. Nam tale spatium fecisse se in fistula vitrea multi hodie testantur.

A 5

66. Et

66. Et vacuum spatiū è vulgi menti
in quo nihil est sensibile, aut generaliter
in quo non est id quod inesse debere co-
gitamus.

67. Nihilominus tamen pernegamu-
dari vacuum, ubi nihil longi, lati, aut pro-
fundi existat.

68. Imo statuimus, in vase quodam, au-
ti, plumbi, glaciei pleno non plus *materiæ*
prime vel substantiæ corporeæ, id est, no-
plus longi, lati, profundi contineri, qua-
si illud superiori interpretatione pro v.
cuo habeatur.

69. Interim *materia secunda*, id est, ha-
aut illa, nunc majori nunc minori copia
in vasculum aliquod inditur.

70. Sciendum etiam, quod omne vacu-
um, qualecumque concipiatur, sit neces-
sio spatiū.

71. At spatiū omne est extensum, &
omne extensum est corpus.

72. Ergo corporum plena sunt omnia.

73. Non est quidem necessaria conne-
xio inter vas & hoc corpus particulare in
eo contentum.

74. Est tamen necessaria connexio in-
ter vas & corpus in genere, quod in eo
debet contineri.

75. Nam si Deus auferret omne corpus
quod in aliquo vase continetur, movendo
aut annihilando, nec aliud ullum in abla-
ti locum permitteret, movendo aut cre-
ando,

76. Hoc ipso sibi vasis latera erunt con-
tigua. (nam inter quæ nihil interjacet, illa
se immediate tangunt) nec distabunt am-
plius vel tantillum.

77. Ex iis jam quæ deprompta sunt,
concludimus, *materiæ* sive corporis sim-
pliciter & universe considerati, essentiam
in sola extensione consistere, eamque non
esse accidens.

78. Unde porrò intelligimus, materi-
am in corporibus cœlestibus & terrestri-
bus esse unam eandemque; nam in
omnibus est una eademque
extensio.

CAPUT III.

Corporum formæ intelligibile
& utiles: quantitas, figura, situs
motus, quies: in Physicis & Ma-
thematicis, naturalibus & arti-
ficialibus spectandæ.

79. **S**atis opinor trutinata est ea res, quia
omne genus corporum convenit,
unum quid est, videlicet *Materia*.

80. Quæ indefinite extensa nec sui us
quam dissimilis pensitanda est, quippe
quæ regionibus carens quacunque con-
tinuatur, ac nullo intercedente hiatu
plet universum.

81. Sequitur ut illud persequamur, quib
us *Formis* corpora inter se discernantur.

82. Atq; unde rerum multitudo ac val-
etas existat.

83. Ut verò nemini obscurum est, unius
dividendo in multa abire:

84. Ita unumquodque corpus divid-
posse supra §. 53. demonstratum est.

85. Ea totius in partes divisio à solo mo-
tu pendet.

86. Nam

86. Nam sine motu nulla fit partium
conjunctionarum separatio.

87. Neque in dubio ponitur, quin di-
versitas in quantitate, figura, situ, motu,
& quiete sit mater varietatis rerum diver-
sarum.

88. Quæ quidem ad unum omnia ab
extensa materia recipi possunt, quin imò
ab ea, cujus extensio suis terminis septa
est, nequeunt non recipi.

89. Etenim *Corpus* ab alio divisum (ali-
as *definitum* *corpus* appellamus) quia non
continet omnem, quæ est, extensionem,
cùm portio tantum sit materiae universæ
spectatæ.

90. Habet utique modum extensionis
sue & mensuram definitam, quæ conti-
nua *Quantitas*; & partium, ex quibus con-
stat, numerum, quæ dicitur *quantitas dis-
creta*.

91. Habet extremitatem sibi congru-
entem, quæ est *Figura*.

92. Habet ambitum aliorum corporum,
unius pluriumve, inter quæ est, *situm* vel
positum. Harum positionum sex num-
erantur *differentiæ*; sursum deorsum, dex-
tror-

trorsum, lævorsum, prorsum, ac retrorsum.

93. Ab hisce ambientibus corporibus illud non penetratur, attamen tangitur quia vacuum nullum est §. 63. Hæc vocant *Impenetrabilitatem & Contactum*, quen opponimus *Distantia*. Quæ enim se tangent, inter ea nihil omnino interponitur §. 70. adeo ut contactus omnis immediatus sit.

94. Præterea corpus situm suum mutant aut servat, unde *Motus* ejus aut *Quies*.

95. Eundem verò inter ambientia tum asservando, facile cum iis in unius rursus coit, quod ipsum continuum appellatur.

96. Sicuti ante motum, quoad individua spectatur materia, universum extensione continuatum duntaxat unum animo concipimus.

97. Hinc *Locus* & *Spatium* ab iis, quæ prolata sunt, ipsare non differunt.

98. Nomina enim hæc nihil aliud indicant ac corporis, quod loco intelligitur con-

contineri, inter alia corpora magnitudinem, figuram & situm.

99. Designamus autem rei cujusque locum respiciendo vel ad corpora contigua, id est, proximè ambientia & affinia;

100. Sic omnis corporis [veluti arboris, cuius radices tellure, truncus aquis, rami aëre circumdati sunt] *locus totalis*, *proximus* & *proprius* unicus est.

101. Vel ad corpora remota, non affinia.

102. Quorum varietas cum sit magna, distantia pariter nunc longior, nunc brevior,

103. Utri rei varius locus adscribi potest. Sic pomum dicis esse repositum in sacco, cella, domo, urbe vel alibi locorum.

104. Respectu itaque ad diversa habito, rem eandem eodem tempore locum mutare & non mutare ait : verbi gratiâ, in urbe obambulans locum si illius partes respicias, mutas ; at locum non mutas, quoad inde pedem non extuleris.

105. Quæ ambiguitas ut in localis motus definitione tollatur, proximi loci ratio

tio debet attendi, ita ut corpus, quod movetur, à confinibus eorum corporum, unde contingebantur, ad aliorum fines transferri intelligatur.

106. Itaque in accurata motus definitione contingentia corpora pro quiescentibus sunt habenda. Et hoc pacto potest definiri, *Motus est translatio unius partis materiae, sive unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate continguntur.* Et tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.

107. Atque ita manifestum est, quomodo in mensæ & libri separatione quietem tribuamus mensæ, quippe quæ non juxta ac liber omnibus partibus transfertur.

108. Cui non absonum est illud: Motus omnis fit super immobili: Veluti si deambules in navi, ad pedes tuos navis eadem tibi quiescere videtur, quamvis reapse moveatur.

109. Hæc quæ diximus, ut nimirum quantitas, figura, situs, quies & motus, Mathematicis quoque in demonstracione objecta sunt.

110. Unde liquet, eorum contemplationem omni dubio vacare.

111. Quamvis apud Mathematicos illa magis abstracta sit & latius patens:

112. Apud Physicos autem rerum particularium naturam proprius attingat.

113. Mathematici enim numerum ternarium, denarium, figuram, rotunditatem generatim pertractant: Physici speciatim querunt, quis elementorum numerus, quæ sit figura solis, Lunæ &c.

114. Pericè eadem rerum corporalium principia opifices ac mechanici versant, quare rite cognita etiam in faciendo quam maxime nos juvant.

115. Quia nimirum res naturales essentia convenient cum iis, quæ dicuntur arte factæ.

116. Enimvero materiam extensam atque in ea quantitatem, figuram, situm, quietem motumve utrobiq; videmus.

117. Sed distantia illarum in perfectio-
nis gradibus ut plurimum nobis locan-
da est.

118. Quandoquidem formæ in corpo-
ribus naturalibus eorumque partibus,
qua-

quæ & ipsæ multo plures ac subtiliores sunt, varietate aut nexu etiam constantia artificalium formas superant. Unde pal-
mam fabrefactis naturalia præcipiunt.
Mar. 9, 3. Matt. 6, 29.

119. Hinc ars naturam imitatur, eam in-
faciendo sibi exemplar proponens.

120. Et quoties arte facta nobis notio-
ra sunt, eo magis naturalia ex iis scrutan-
tes, ad scientiam physicam parandam a-
ptiores sumus.

121. Ex. gr. Ex earum collatione appa-
ret, qua ratione quantitas, figura &c. licet
materiæ seu corpori generaliter considerato
accidant, in re tamen unaquaq; na-
turali insint *essentialia*.

122. Nempe ut figuræ variæ ferro qui-
dem sunt accidentales, at cultro vel acui
sua ipsius figura essentiam absolvit, quia
licet citra eas ferrum permaneat ferrum,
culter verò vel acus non item;

123. Sic motus particularum celer &
varius abesse potest à corpore, sed mini-
me ab eo corpore quod *flammarum* nomi-
namus.

124. Et quemadmodum in cultro sub-

stan-

stantia ferri certa quadam magnitudine,
figura acuminata, extremitate polita &
partium secundum se quiete [quæ est ipsa
durities) totius deniq; motu omnem vim
agendi exerit : 125. Ita moles corporea
vel substantia extensa per se otiatur, virtu-
te autem modorum, quos diximus, rite
junctorum operatur.

125. Hoc ipso in rebus naturalibus ma-
teria principium est passionum, forma verò
actionum.

126. Ad hæc, uti ad aptandum artificia-
lia non unus, sed omnes, aut certò com-
plures modi requiruntur, qvos in fabrica
v. gr. domo, vel horologio non tantum
extrema, verum etiam intima pernoscere
decet :

127. Sic corporum naturalium forma,
ubi cùm extrema, tum penitissima quæq;
penitanda sunt, in modorum illorum or-
natum aut plurium ordine consistit.

128. Quæ forma, externa pariter & in-
terna, res ita ordinat, non equidem ut sim-
pliciter res sint, hoc enim habent à mate-
ria, sed ut res sint tales, naturæ quadam

pro-

proprietate & agendi viribus inter se distinx.

129. Veluti calamus ad usum accomodatus habet cavum, longum, amplum firmum, crenam una cum rostello: pol manum autem admotam ac directam, defluente in papyrus atramento, cunctis partibus suis funguntur.

130. Quod autem eadem in figuris motibus, &c. dispositio uni rei congruit & alteri disconvenit, evidens illud efficit unius rei generationem, alterius esse corruptionem.

131. Quoniam etiam in partium numero, magnitudine, figura, situ, motu, variis gradus inveniuntur, quos progressu temporis natura vel ars impensè ordinat, cum nullus motus fiat in momento (instanti)

132. Palam est, naturam cuiusque rei corporeæ minimè in puncto consistere, (sicuti conditio essentia in corpore universè spectato ita est, ut ei nec addi nec demi quicquam possit, sed intra latitudinis regiones contineri;

133. Neq; corporalis rei generationem aut

aut corruptionem in momento, sed tractu temporis perfici.

134. Sic plantæ & animalia minutatim ad sui perfectionem excrescent: aqua paulatim in vapores diminuitur, aut in glaciem coit.

135. Et quamvis vapor, aqua, glacies, res sint distinctæ,

136. Innumeri tamen in motu ac situ particularum aquæ gradus inveniuntur, quibus hæc nomen & essentiam aquæ haudquaque amittit.

137. Fac illic aquam adeo frigere, ut gelu quam proximè ad glaciem accedat; hic vero ita servet factam esse, ut in vapores jam nunc discedat; adde totum denique statum aquæ intermedium. Et varietas, quæ in aqua inest, clarissime tibi observabitur.

138. Ita primordia cerasi vel poma putrefacta naturam cerasi vel pomi cuiusdam omni parte non æquant: id est, non æquæ cerasa vel poma sunt, ac matura & integra.

139. Postremò res aliqua destructa non semper dividitur in partes, que magnitudine, figura-

figura &c. respondent iis, unde antea generata fuit. Resolutio enim & compositio uno termino jugiter non perficiuntur, quod corrupta poma & parietes fracti illustrant: ut & vina olea, quæ in uvas & olivas nunquam remigrare queant.



CAPUT IV.

Motus localis, deque eo Legem Naturæ tres.

140. Inter omnes corporum affectiones singularem quandam attentionem Motus localis meretur, ut quis solus in ratione natura datur.

141. Meditemur autem illum absolute, ut statum vel conditionem, qua corpora inter alia corpora nunc hac, nunc affectur, vel, quod idem est, qua diversorum corporum ambientium partibus assidue aliter atque aliter applicatur.

142. Potest tamen si ad motorem *res ipsas*, *actio*, si ad rem motam, *passio* dici.

143. Motus nisi per circulum vel circum quendam in mundo fieri nequit.

144. Quia enim corporum ubique plenius

nitudo est, nec dimensionum penetratio locum habeat,

145. Nullum corpus moveri potest, nisi contiguum aliud loco propellat, hoc item aliud, & porrò hoc aliud continenter ad extremum usque, quod in locum, unde primum cesserat, eo ipso momento, quo cessit, trudendo intrat.

146. Huic corporum successioni si quæ res in mora sit, retinetur motus. Sic è dolio vina non fluunt nisi ære pedisse quod.

147. In angustis tamen, quam latissimis, magis celeratur Motio, ut in foliis pedetentim compressis, ventis undis, videre est.

148. Quoniam igitur in motu varii insunt celeritatis, & tarditatis gradus, certa etiam quantitas virtutis ei competit, quæ in Universo hoc jugiter eadem esse potest, licet in ejus partibus variet, ut speciatim modo sonus, modo calor, modo frigus nominetur.

149. Ut enim inter materiam primam & secundam, inter corpus generatum & specialiter consideratum, ita etiam inter

ter motum, & talem motum discriminem est.

150. Neque affirmares diversam quantitatem motus in mundo esse, id est, nunc majorem nunc minorem esse motus copiam, nisi omnia sensu metireris.

151. At vero ratio monet, quod sentiendi sui copiam facere, neque ad motus, neque ad corporis essentiam pertineat.

152. Deinde sciendum, motum neque à materia, neque à semetipso augeri minuive unquam posse: quoniam res per se existens, non magis potest desinere, quam non existens sine causa incipere.

153. Præterea sana etiam ratio superaddit, jussu DEI motoris omnium primi, & accessionem & diminutionem motui negari, quia Deus materiam & motum eadem voluntate conservat, qua creavit, quia semper idem est.

154. Summæ ejus sapientiæ tūm constantiæ magis decorum est, utriusque illorum & qualitatem in Universi fabrica jugem custodiri, quam immutari Job 10, 3.

155. E

155. Et quicunque huic sententiæ fidem habent, quod Materia à generazione & corruptione tuta sit, illi, motui & quieti idem tribuere non est quod dubitant.

156. Nam sane *unumquodque*, sive corpus, sive corporis affectio fuerit, *quatenus est simplex & indivisum*, (nam in composite atque in se diviso corpore, partium alia, aliis statim mutat, uti humanum corpus argumento est) *permanet, quantum in se est* (constantia Dei illud non deserente,) quantitatis, figuræ, situs, quietis, motus, celeritatis, tarditatis &c. *statim immutatum.*

157. Nec mutationem recipit nisi à causis externis. Conf. §. 143.

158. Enimvero cum sine causa haud quicquam fieri possit, circa actionem causæ, status demutari nequeat.

159. Unde *prima naturæ lex* est enata, à divinæ conservationis simplicitate & constantia pendens. Eadem hæc Dei perfectio alteri quoque naturæ legi fons & origo est: nimurum,

160. *Unumquodque corpus*, per se tru-

B

ti-

tinatum, nec aliunde præpeditum, recta motari pergit.

161. Adeo ut, qvæ ab aliis causis orbiculatim aguntur à circulo, qvem faciunt, recta linea recurrere intentent.

162. Ecce lapidem, qui funda rotatus quoqvo versus funem extrahit, atqve cōvehementius, qvò lapis solidior aut rotatio celerior est.

163. Illud autem lapidi non à gravitate cuius particulari vi corpora semper deorsum, nunqvam sursum feruntur; sed à vi motus generali, qvam in naturæ legi altera ponimus, datum est.

164. Nimirum qvæ opere quidem ipso ab eo statu, quo recta itur, declinando incurvescunt, recta tamen eundem insum tantantur. Perpetuo servant conatum licet persæpe destituantur effectu: hoc est, ita sunt posita atque ad motum incita, ut progressio esset recta, si aliud quam non obniteretur.

165. Itaque conatum, nulla re adversa, effectus insequitur: ex corio enim fundæ interrupto lapis evolat recta pergens.

166. Ad hæc, corpus, quod moveatur,

ali obvians (ut fit, qvia vacuum non datur) si facultate recta itandi alii resistenti' cedat, alios sum flectit, & motum servando, tantum determinationem motus perdit.

167. Sin vero facultate hac ali obvio prepondereret, una secum illud transfert, ac tanto exhaustur, quantum de suo dedit.

168. Quod si hoc ultimum omitteretur, motus citra metam adaugeri minuive posset, ex qvotandem eveniret, ut mundi, si ipse ab interitu prohiberetur, ordo turbaretur. Motu enim sic aucto', ut omnes mundi partes celerrimè agitentur, qvid nisi una flamma essent omnia? Contrà motu sic imminuto, ut prorsus quiescant, qvid nisi mera ubiqve glacies? Atque in illa motuum communicatione lex tertia naturæ sita est.

169. Tres hasce naturæ leges satis, arbitrator, explanant ea, qvæ manu, funda, arcu ac tormentis bellicis projiciuntur.

170. En illud, pueri ludentes globulis experimur eos, quietis statum non prius deferere qvam motus indatur: motum verò acceptum ab iisdem custodiri, dum vel in aliud globulum, vel in aërem, vel

in alia corpora missus fuerit. Veluti mens in tuum verberatus translato moto prossus quiescit. At portione motus, ita tuum emissa, meus pro ea portione itionem suam tardior continuat.

171. Idcirco *projecta*, ut lapis, telum, jaculator separata, non ab aëre moventur;

172. At semel mota motum eadēm vi nec minori velocitate perseqvuntur.

173. Donec eorum motus ab aëre aut aliis corporibus obviis vel augeatur, vel minuatur, vel alio vertat. Motui enim in particularibus corporibus considerato, triplex ejusmodi mutatio accidit.

174. Unde in corpore mobili motus non augetur, nisi quid aliunde sit additum, nec minuitur, nisi qua pars excede rit s. 167. nec item alio vertit, nisi progressioni rectæ quid impedimento sit.

175. Ut ecce, à pavimenti vel cujusdam parietis duritie pila resiliens, asservata motus celeritate (exceptum vero quantum aëri datur) viam ejus mutat.

176. Corpora enim dura nobis nihil excipiunt, sed pilæ eum linquunt integrum, quod

quod ipsum efficit, ut ipso flexionis initio pila non quiescat. Nam si vel momento ita quiesceret, à quietis statu non recederet, nisi aliunde iterum mota.

177. Uti enim divisio vel sectio materiae conjunctionem dissociat: ita quies vel interjecta mora continuum motum dirimit.

178. Pilæ igitur contra parietem jactæ atque inde resultantis idem, non iteratus motus est.

179. Et hæc de motu locali, qualem solum nos admittimus, & coronidis loco sequentes Positiones adjicimus.

180. Quicquid movetur, motu proprio movetur, & tamen plurima motum eum, aliis communem obtinent, unde bene motus in proprium & communem distinguitur.

181. Omnis motus est naturalis.

182. Omnis motus est violentus.

183. Male tamen motus in naturalem, & violentum distinguitur.

184. Omnis motus natura sua est reclusus.

185. Et omnis motus fit per circulum.

186. Et tamen recte motus rectus à circulare distinguitur.

187. Male *Motus* in substantialem & accidentalem distinguitur, qvia nullus alius nisi localis motus datur.

188. Et licet, Motus motui nunquam per se sit contrarius,

189. Motus tamen via sursum versus repugnat viæ deorsum versus.

190. Non tamen parva distantia est, inter viam hanc, (alias *Determinationem* sollemus appellare) & motum ipsum, manente enim motu variat.

191. Contis in solidiori loco fixis oculis detruditur navis §. 176.

192. Corpora post humum calcitratae siliendo altius tolluntur.

193. Mensa, si peripetasmati eadem quam si iisdem sit strata, celerius pila decurrit; & jacta contra pannum, lutum, gramina, lanas & his consimilia, si resiliet, certè humo altè non tolletur.

194. Per loca arenosa, lutulenta, & mollia difficilior nobis est incessus.

195. Tantum enim motus emissimus quantum

quantum illa acceperunt §. 167. quæ res lassitudinis causa est.

CAPUT. V.

De Vi Agendi & resistendi.

196. **A**gendi & obsistendi vis, seu positiva & negativa resistentia, hac sola in re vertitur, quod unumquodque statum suum naturâ sequitur.

197. Exinde quæ alii quiete sunt juncta, vi separationem impediundi pollut, contra sejuncta conjunctionem avertunt.

198. Quæ res quiescunt, quietem suam tutantur motui resistendo. Idem judica de iis quæ moventur.

199. Vis hæc referatur r. ad magnitudinem subjetti cui inest. Nam corpus magnum, respectu ad partes habito, multum habet motus & quietis, cuiusmodi quantitas extensioni corporis quodammodo respondet. Unde illud sermone tritum: *in majori quanto major est virtus.* Quæ virtus ponitur in totius motus vehementia totiusque quietis firmitudine. Ita quo

major est flamma, eò edacior. vid. exemplum in Claub.

200. Vis agendi & resistendi 2. pendent à magnitudine superficie, qua corporum aliud ab alio disjungitur. Quò enim latiorem superficiem corpus habet, ceteris paribus, eò facilius & majori copia motum admittit.

201. Hujusmodi vis 3. metiunda est ei motus celeritate, quantitate ejus intensitate, cui §. 199. opposuit extensivam. Corpori enim celerius moto facilius obsistit etiam pars vis. Ita currus rota, corpus tuum transvolando non laeserit.

202. Vis illa 4. ponitur in vario corpore, quibus mutua actio inest, occursu, quoniam nunc magis nunc minus rectus vel obliquus est. Ex. gr. lapis ad summas undas iactus, it ut eis insiliat. Superficiem illarum non æquè ac rectâ incedens dividere valet.

203. Quatuor hæc, ex quibus magnitudo virium astimanda est, multifariam in corporibus naturalibus inter se temperari, opponi, vel adæquari deprehendimus.

204. Ex

204. Ex. gr. Motui corporis magni, robur addit plurimum in mobili partium convenientia, licet illi ipsi motui gradus insint pauci. Sic flumini lentè decurrenti corpora in gentis molis cedunt. Atque ita in aliis potest motus esse validus, licet non sit celer.

205. Contrà in minori corpore motus potest esse *velox*, quamvis robore careat, cuius rei index est virga celerius vibrata.

206. Ita, si duplo celerius corpus A movetur quam B, & corpus B, duplo maius est quam A, tantundem in uno quantum in altero motus numeramus. Extensio enim, quæ est in mobili, intensio motus quantitate equiparat.

207. Semper autem in corporum occursu hæc obtinet regula: *Quod viribus maiorum est, suum effectum sortitur*, seu agat in aliud, seu alterius actionem obnitorum appellat. §. 166.

208. Ex multis igitur rebus ad eundem locum, angustiorem quam ut omnes capere queat, annitentibus, quæ robore & agilitate superant, eò solæ perveniunt, exclusis inde debilioribus.

B 5

CA-

CAPUT VI.

De Corporibus Stabilibus, & Fluidis, Duris, & Mollibus.

209. **Q**uæ oppositio est inter idem et diversum, immutabile atque mutabile, stare & ire, ea est inter quietem & motum.

210. Non magis igitur *Quies* est a privatio aut perfectio *Motus*, quam *Motus* *Quietis*.

211. Etiam si aliorum corporum, veluti *Terra* naturalis coagmentatio quietem aliorum, veluti Fluminis, apta dispositio potius motum requirat.

212. Hæc oppositio, quæ in Physicis familiam dicit (nam ex quinque illis formis §. 87. & alibi recensitis non nisi motus & quies sibi contraria sunt.) enititur distinctionem inter *Consistentiam*, & *Fluxu corpora*: Pro quorum diversitate, agendi quoque & resistendi vites aliter atque alter se habent.

213. *Consistentia* si manui aliive ex mem-

membris nostris motanti obstant Dura, vulgo appellantur.

214. Etenim si corpora, simul atquè à nobis tanguntur, continuò cederent, nihil quicquam duri sentiretur: uti nec ventum sentimus, quoties pari velocitate cum navi, quā vehimur, currit. Ubi propriè quidem non movemur, quandoquidem ab aere contiguo non separamur.

215. Corporibus igitur durities, qua motui aliorum resistunt, non inest, nisi ipsa quiescant aut certe tardius procedant.

216. Nec tamen necessum est, ut corpora dura juxta alia corpora ambientia tota quiescant. Globuli enim duritatem suam custodiunt celerime rotati.

217. Sed ad corporis duritiem est, ut ejus partes juxta se mutuo quiescant, nec dilabantur. §. 197.

218. Partes ita intelligi volo, quatenus tactum afficiunt. Nam si forte iis particulae sensum fugientes mixtæ fuerint, duritatem hæc, licet variis summâque celeritate motibus agitentur, non eximunt. Efficiunt tamen ejusmodi particulæ, ne corpus illud

illud, cuius poris vagantur, omnino stabile queat existimari.

219. Ita verò dum partes juxta se mutuo quiescunt, etiam cohærent. Quid enim est quiescere, ac hærere? Unde partium quies per earum contactum, & duritatem & cohærentiam efficit. Confer glaciem cum aqua servida.

220. Cohærentia autem hæc duri corporis eò firmior est, quò partes ejus ordine secundùm se quiescentes extremitatibus, quibus hinc inde continguntur, ampliores sunt.

221. E contrario corpora ex partibus non adeò contiguis concreta, secundùm ea loca, quibus se minus contingunt, minori negotio dirumpuntur.

222. Porro uti stabilia seu dura corpora obsistunt aliorum motioni, ita fluida & mollia cedent.

223. Cedunt, quia iam moventur, saltem celeritate vincunt ea quæ adventant. §. 205.

224. Sed cautio est, ne motum illum, in quo natura fluidi vertitur, totius corporis esse

esse credas: quandoquidem ejusmodi motioni etiam in duris locus est §. 216.

225. Neque tibi persuadeas, majorum partium, quæ tactui stare solent obviam, hic motum esse intelligendum;

226. Duritati quippe solvendæ & fluido congregando neuter illorum motuum sufficit.

227. Scias igitur in fluido corpore exiguae motari particulas, in quas ipsum divisum est, quamdiu naturam tuetur fluidi.

228. Quibus ita fluentibus stabiles particulas plurimas sæpe permixtas esse nihil vetat, dummodo sensum fugiant.

229. Non enim ut corpus perpetuò in corpora, ita fluidum omne in fluida usque & usq;ve dividì potest.

230. Utque corpus aliquod fluidum sit ac tale esse perseveret, necesse est particulas ejus motibus à se maruo diversis agitari §. 189. qui motus quodammodo circulares sunt, dum aliæ sursum, aliæ deorsum, circa sua ipsarum centra voluntur.

231. Hac enim demum ratione efficitur, ut fluentium corporum particulæ alia cor-

pora undecunque sibi occurrentia non removentur, quemadmodum non remorari experimur.

232. Etenim si particulæ istæ omnes unâ *duntaxat* viâ simul decuriant, nec proprium singulæ motum habeant, mutuo contactu brevi cohærebunt ac fluidum corpus efficere desinent.

233. Additum est, *duntaxat*, quoniam nihil his officit, quod corpus fluxum simul totum, motu vario in particulis custodito, versus unum locum eat, non aliter ac durum. Ita se flumen unâ cum glacie in mare exonerat. Glacies tamen ob cohærentiam partium §. 219. majore vi cursus suum perseqvitur fortiusq; in ripatum sinus impingit, quam aqua, cuius partes variis disjunctæ motibus §. 230. vires suas ita conjungere nequeunt, unde vulgarium illud, *virtus unita fortior*, vid: Claub.

234. Hic motus progressionis totius, quia sèpius & apertius in sensu incurrit, vulgo innotuit præ altero illo *particularum vario*, in quo natura fluidi sita est.

235. Præterea non omne fluidum esse humidum, siccitas ignis declarat. Nec aer

aër semper humidus, quamvis perpetuo fluidus.

236. At quemadmodum inter summam celeritatem motus & omnimodam quietem varii gradus dantur, ita inter simpliciter fluxum & absolute durum §. 202.

237. Sunt quæ utriusque illorum naturali participant, idque interdum magis, interdum minus. Veluti *mollia*, lana, nix, &c. & *liquida varia*.

238. Sic atramentum, sangvis, lac, non sunt liquores simplices, sed corporum durorum pulvere inspersi §. 118.

239. Particularum fluentium copia vel agitatio major est in flamma, quam in vaporibus aut aëre:

240. Major est in aëre, quam in aqua, in calida major quam in frigida §. 209. Denique in aqua major est quam in oleo. Sed minor ac in vino.

241. Distinctioris autem cognitionis ergo possumus flammæ nec non effervescentis aquæ particulæ quasi volantes animo concipere.

242. Frigidæ aquæ atq; olei minutissimæ quasi repentes,

243. Hic locus est contemplationi *Lentoris*, qui in tardiore quadam fluxione consistit. Talis in visco deprehenditur.

244. Lentori opponitur in siccis corporibus Friabilitas, quam in rara partium cohærentia ponimus, veluti in gleba siccâ.

245. Gradus illi mollitie ac duritatis etiam in eodem subjecto pro diversitate conditionis ac temporis saepius ostenditur.

246. Sic multa ipsa sui generatione, quam materiæ motus & confluxus efficit, sunt molliora, & progressu temporis indurescunt. Considera panem recentem, plantam, bestiam, &c.

247. Sunt autem pleraque corpora mollia, quoniam eorum particulae sunt flexiles (ut ecce ceræ, butyri, olei concreti particulae plumularum instar molles sunt) vel quia desinunt in ramulos quosdam flexiles, qui sibi mutuo annexi eas jungunt, ut patet in massa farinæ subactæ.

248. Etiam si vero in fluxis particulæ exilitas, §. 217. saepenumero non permittat, ut earum motionem oculis cernamus

namus; effectus tamen dux nobis est ad illum motum pernoscendum.

249. Quem effectum vel ipsa fluida nobis conspicandum præbent, ut ebullitiones, evaporationes, vel etiam alia corpora à fluidis in partes divisa monstrant.

250. Ad hunc modum carnes ab aëris caloribus corrumpuntur. Liquoribus etiam, calentibus præsertim, corpora multa dissolvuntur.

251. Sed fac, liquorum partes à mutua quiete cohærere §. 218. Ecquid inter aquam & glaciem, inter liquamina & coagulata (ut ceram, butyrum, plumbum, &c) interesset?

252. Qua ratione vina & aquæ in uno vase confunderentur, annón juxta ac siccâ permanerent secreta?

253. Etenim illorum confundendi facultas indicium est, celeritatis differentiam in particulis vini & aquæ non esse tantam, quanta est in particulis aquæ & olei §. 230.

254. Corpus durum, quod unde libet fluida ambient, inibi tanquam in equilibrio sistitur. Äquabilitas enim contrariorū motu-

metuum illud efficit, ut inter eos statio-
nem suam deserere nequeat §. 230.

255. Idem evenit in duro corpore,
quod ab omni parte alia dura æqvabiliter
premunt. Sic colluctatorum, dum æ-
quis viribus inter se contendunt, neuter
humi sternitur. Idem sit judicium de flu-
idis, quoad simili modo sibi obluctantur.

256. At simulac vel minima Vis horū aut
istorum præponderat, *equilibrium evanuit*.

257. Dura etiam à fluidis progredien-
tibus deferuntur, ut ab aëre & fluvio na-
vis. Item dura à duris proferuntur, ut
à nave homines.

258. Nec tamen dura semper fluentis
ac deferentis motioni, sed alii saepe eique
vehementiori motui parent. Ita navis for-
tius remiga aliterve impulsæ vel

tractu transverso vel etiam ad-
verso flumine ad ripas
appellitur.

CA-

CAPUT. VII.

De *Figura incerta, globosa, angu-*
lata.

259. Diversarum in corporibus figura-
rum causa & origo est motus va-
rietas: id quod opifices nos edocent.

260. Qvæ figurarum varietas hoc vi-
cissim efficit, ut motus varient. Ita lapis
triangularis minus facile movetur sphæri-
co.

261. Fluentia quoqve corpora iterum
atqve iterum alluendo rebus duris nunc
hanc nunc aliam formam inferunt.

262. Verum ad dura & consistentia mul-
tis facilior est conformatio fluxorum ac
mollium, quæ illis cedant. Ita quæ flu-
ent in vasculum indita ex capacitate ejus
figurantur. Ferrum ad recipiendas mul-
tas formas ignis admotus parat; sed ubi
refixit, ad eam rem ineptum est. Idem
in cera sigillari videmus. Qvæ res hoc
manifestum efficit, quod jam ferme con-
sistentia figuram, qvam ad fluxionem no-
vissimam habebant, tueantur,

263. Qyò igitur rerum motus ac fluxus
faci-

faciliores sunt, eò facilior in iisdem figuræ mutatio.

264. Proinde in mundo mobilitate summa ac maximè fluidum corpus omnimode tum figurando, tum dividendo est.

265. Tale autem ut hic detur, ipsa necessitas depositit, ne vel minimum universi per momentum vacet.

266. Nam dum corporum ab alio aliud protruditur, atque ad hunc modum continuus in alius locum successus est, nequam fieri potest, ut omnia idem magnitudinis, figuræ ac situs obtineant. Oportet igitur uti materia, quæ omnibus modis figurari ac dividi sustinet, omnium complimentum advolet.

267. Eadem hæc necessitas agnoscitur, quoties è spatiis amplioribus ad innumeros gradibus minora prorsus implenda materia mobilis excurrit, (Jam si quis roget, quodnam sit illud corpus fluidissimum, è superioribus quidem nihil aliud quam *Flammam* intelliget. Nec sane quicquam existit, quod alia corpora tantopere dividat: dividere autem est mouere.)

268. Verum è corporibus, quæ sunt

corta

certa figura nec ad omnigenam aslumentam idonea, ceteris rotunda mobilitate sua antevertunt.

269. Suntque minutissimi globuli, proprium singuligyrum facientes: post materiam quibuslibet modis figurabilem, ad corpus fluidum constituendum maximè idonei.

270. Quando enim sic moventur, & in punctis duntaxat se contingunt, in corpus durum coalescere nequeunt.

271. Præterea, sphaerica figura præter istam mobilitatis prærogativam hoc habet, quod *uniformis* & *simplicissima*, cum unico solùm termino, eoque à medio comprehensa spatii æqualiter distante contingantur.

272. Nec linea recta, quæ linearum omnium simplicissima est, potest magis æqualiter, & minus in unoquoque puncto inflecti, quam cum in circularem degenerat.

273. Hinc ea quæ à circumstantibus & obstantibus corporibus in recto motu persequendo impediuntur, hanc in circularem illico convertunt (Sic enim à recta via

via minus abeunt, quām si motu suo rectilineos angulos describerent) sicuti in globis parvis & magnis, inqve aëris & aquarum verticibus appetet. Et habemus in aëre digito obturata verticem aëris, dum vapor ne recta via exeat impeditur: unde murmur tremulum audimus.

274. Eadem figura globosa inter omnes robustissima & capacissima est, & ratione ambitus quodammodo infinita.

275. Has causas multi afferunt, quam obrem pleraque Universi corpora, majora pariter & minora, sphærica aut cœlo rotunda quodammodo existant, vel motum quoque circularem habeant. Sed physicarum rerum studiosus generalibus illis causis speciales addere laborabit.

276. Nec tamen omnes mundi partes globosæ esse possunt, quia inter eas, triangularia spatia darentur vacua.

277. Denique globosam corpora figuram induunt, cùm diutiùs variis motibus cœntur, exemplo eorum quæ tornantur. Unde iterum patet, corpus fluidum è globulis componi posse.

278. Quæcunque præter globosa, & o-

mniibus

mnibus modis figurabilia, in mundo corpora inveniuntur, ratione figurarum, quæ sunt innumeræ, *angulata* licet in genere appellare, quoniam angulis pluribus aut paucioribus aliquantis per saltē permanentibus terminantur.

279. Horum esse motum tardiorem & magis impeditum, ex ante dictis claret. Et propter istam tum tarditatem, tum figuram, quæ permittit ut in aliqua superficiei parte se contingent ejusmodi corpora, facile cohærent. Atque ita ad compositionem aliorum corporum apta nata sunt.



CAPUT VIII.

DE ASPERO & LEVI.

280. Videlicet superiori Capite causam & originem diversarum figurarum & situum in corporibus; quæ motus varietas erat.

281. Considerantur autem istæ figuræ & situs partium in corporibus; vel ut *exteriores*, vel ut *interiores*.

282. Ratione figuræ & situs partium potissimum

tissimum exterioris, corpus distinguitur
in asperum & leve.

283. Asperum, scabrum, partes habet in
superficie alias prominentes, alias de-
pressas.

284. Leve, politum, partes, quibus ter-
minatur habet æqualiter sitas.

285. Levia igitur intuitu superficie, ad
agendum & resistendum aptiora sunt a-
spesis. Confer ferrum & similia impolita
vel erugine educta, cum politis & ab eru-
gine liberis. Pila à lævi corporis duri
superficie longius quam ab aspera resiliunt.
Corporum in glacie quam terræ superficie
motus facilior.

286. Quomodo verò mutuo attritu cor-
pora aspera lævigantur, ostendit ferri ali-
orumque corporum politura, rasura pani-
ni, lapillorum in fluiis lævigatio. Ita
eos acuit cultrum.

287. Particulae, quæ ejusmodi attritu
abraduntur, propemodum omnes valde
tenues & minutæ sunt, ut in scobe & lima-
tura ferri patet. Dum culter acuitur, vel
paulatim usu teritur, quemadmodum &
calcei, ac vestimenti reliqua, quod inde
abra-

abraditur ob exilitatem sæpius non ap-
paret. Quæ omnia particularum insensi-
um & ortum & existentiam probant.

288. Quorum corporum superficies
quasi ramulos qvodam eminentes habet,
cujusmodi sunt extremitates lanæ in pan-
no, ea lævia evadunt, cùm in unam par-
tem ramuli isti infleuantur, uti lana in su-
perficie panni raderendo, barbæ & capilli
pestante infleuantur.

289. At si in contrariam partem strin-
gantur, ramulorum illæ extremitates non
nihil assurgentæ asperam superficiem
reddunt motumque impediunt; quemad-
modum non solum in panni, verùm etiam
in bestiarum superficie deprehenditur,
quarum corpora pilis, aut plumis caudam
versus inflexis teguntur.

CAPUT IX.

DE RARO & DENSÖ.

290. Ratione figuræ & situs partium
interioris corpus est rarum vel
densum.

291. *Rarum* est, non quod expansum per majus spatium sine intervallis, quia corpus idem non potest magis extensum esse vel majus spatium occupare hoc tempore quam alio.

292. Neque est ita divulsum, ut ejus intervalla sint vacua,

293. Sed habet partes, inter quas intervalla existunt corporibus aliis repleta, ut videre licet in spongia & pumice, item in pane per lactis aut vini in poros ingressum dilatato.

294. Qvicquid autem in rari corporis intervallis, quæ à partibus ejus non occupantur, extensionis continetur, id proprie ac physicè, non ipsi, sed aliis corporibus replentibus est tribuendum.

295. *Densum* redditur corpus, si partibus ad invicem accendentibus intervalla illa minuantur. (veluti cum spongia liquore turgida, item lana aut nix comprimitur) aut tolluntur.

296. Qvod posterius non contingit nisi in omnimodi duris, vel omnimodi fluidis.

297. Quemadmodum autem *rarus* & *mollis*

mollis (nam pumex rarus est, & tamen durus) ita Densum Germ. dicit à Duro Ger. hart / distingvendum.

298. Nempe densa pluvia, densa flamma est, propter partium suarum propinquitatem, §. 294. Qvod pertinet ad fistum, & oppositam habet partium distantiam, cuiusmodi est in raro §. 292.

299. Sed lapis durus, ob partium quietem, cui opponitur motus. Sic ignis densior terrâ, non durior.



CAPUT X.

DE PORIS CORPORUM, TAM LIQUIDORUM, QVAM CONSISTENTIUM.

300. Intervalla corporum appellantur *pori*, *meatus*, *rimæ*, *foramina*, *cavitates*, &c. prout minora vel majora existunt.

301. Pori in corporibus omnibus compositis, exceptis iis de quibus §. 295. loquebamur, inveniuntur.

302. Nam oriuntur vel per compositionem,

nem corpusculorum, qvæ vel ob convexa latera sua, vel ob irregulares qvæ cunqve figuræ, vel propter fortuitos o cursus, vix unqyam sic jungi possunt, ut omnino congruant, nec ullos angulos ab alia materia implendos relinquant.

303. Vel producuntur per transitum alius cuius materia, qvæ majore vi pollens corpuscula conjuncta locis suis exturbando sibi viam aperit.

304. Qvæ posterior causa cùm in molibus, liquidis, & fluidis, qvippe qvæ facile cedunt, potissimum locum habeat, meatus in talibus corporibus vel maxime sunt agnoscendi.

305. Verum & prior pororum causa in iisdem fluidis, excepto corpore fluidissimo locum invenit. Cuncta enim qvæ sunt præter materiam omnibus modis figurabilem, determinatas necessariò figuræ obtinent.

306. Ita corpus fluidum ex particulis globosis compositum, porosum esse demonstratur ex §. 275.

307. Utraqve pororum causa datur etiam in stabilibus, dummodo non sint omni-

mnia qvæ cogitari possunt stabilissima.

308. Qui dura qvælibet corpora sine poris animo concipit, neqve ex partibus ea composita putat, qvæsi facta sint ex materia prima, aut qvæ illa partium inibi divisio præcesserit, is inter æs, aurum, argentum, plumbum, crystallum, vitrum, glaciem, terram, lignum, abietem, querulum, marmor, & saxum qvodcunqve, nullam intericrem differentiam relinquit. § 28.

309. Cum tamen experiamur, alia horum esse perspicua, alia opaca, alia sonora, alia non item, alia aliis duriora vel graviora, alia viventia, alia vita experientia, alia ærugini obnoxia, alia non item, &c. qvæ omnia interiorem qvandam diversitatem ostendunt.

310. Cumqve ligna, gladios, & similia semel inflexa mox ad priorem figuram sponte qvæsi redire videamus, id primæ Naturæ legi præsus repugnaret, nisi per eorum poros curreret materia, qvæ incurvatis figuram pristinam restitueret.

311. Nos igitur ejusmodi absurdâ evi-
C 3 tan

tantes, Materiam totam primo quidem in dividam spectamus, deinde vero motu quem Deus indidit, dividam judicamus in partes & particulas, ex quorum de-
mum conjunctione majora corpora omnia sint composita. Unde pori in pleris que orti, pro quorum multitudine vel paucitate, latitudine vel angustia, figura & situ, corporum denique permeantium infinita varietate mille formis distinguuntur.

312. Quæ omnia considerantes redi-
concludimus, similiū corporum similes esse
poros, dissimiliū contra. Similitudinem
ac dissimilitudinem intellige in partium
magitudine, figura, situ, motu vel que-
te.

313. Itaque materia diversa, id est, se-
cundum exiguae particulas aliter forma-
ta, diversos etiam poros exigit, ut libere
moveatur, ac proinde partium situm tur-
bare potest & solet, quoties ruit in corpus,
cujus viæ non satis aptæ sunt.

314. Hinc pori unius corporis alterius
è regione positi vel adjuncti corporis
quantitate, figura, situ non respondent.

Sic

Sic diversa industria simul nonnulli indu-
unt, ut eò magis arceant aërem, qui per
meatus panni simplicis, licet crassioris, fa-
cilius ad cutem penetrat.

315. Ad hæc quæ de levi & aspera su-
perficie externa §. 296. & ante diximus, ea
quoque ad internam pororum, seu, ad
latera meatuum sunt applicanda. Unde
iterum permagna eorum varietas.

316. Porro duorum corporum pori
differunt ab iis, qui sunt in fluidis, quod
illio firmiora latera magis constantes, hi
contrà facile mutabiles. Idcirco materia
in illis minus à motu suo impeditur:
quemadmodum fumus melius per carni-
num ascendit, globulus facilis per tubam
movetur, quam per liberum aëra.

317. Ex dictis §. 301, seqq. intelligitur,
meatus alios esse corpori congenitos, ut qui
in panno per texturam; alios postea fa-
ctos, veluti in panno ab acutineis, in ligno
à terebra, vermibus, &c.

318. Ac sicuti in panno crasso paucio-
res, sed latiores, in subtili plures, sed an-
gustiores pori sunt: ita saepe in aliis cor-
poribus meatuum angustia multitudine

C 4

quæ

quasi pensatur. Nempe, ut in panno fabrica in corbe vimina conjuncta, quo majora & crassiora, eò majores & pauciores meatus relinquunt, contrà quo minora & subtiliora.

319. Non raro per eundem porum currit multiplex materia, tunc præsertim, cùm ab una definitam figuram & magnitudinem habente prorsus impleri nequit.

320. Currit multiplex materia per pores in partes etiam contrarias, veluti in clepsamidio arena descendente aer ascendet.

321. Quæ in poris continentur, motum corporis porosi seqvuntur ab eo delata uti vinum sequitur motum dolii, aqua motum spongiaz, &c. Sic & figuram imitantur.

322. Porosa corpora inserviunt ad partes alicujus totius dividendas ac separandas: ita pectine dividuntur capilli, caminatur lana & linum; siphone in varias partes ad modum pluviaz dispergitur aqua.

323. Speciatim inserviunt ad crassiores compositi alicujus partes à subtilioribus secer-

secernendas: quoniam his per meatus transmissis, illa relinquntur. Exempla occurunt in iis, qui cribro, colo, panno, corbe cibrantur aut percolantur. Reti separantur pisces ab aqua, pectine infecta à pilis, &c.

324. Corrumptur pori 1. fractione, ut si ligna vermis eroſa rumpantur: vix enim contingat, ut ejusmodi fractura non incidat in dimidiata foramina, secundum ea quæ diximus.

325. Hic tamen è dimidiatis foraminibus ad invicem applicatis rursus integrantur: sicut apparet in illis instrumentis, quibus plumbum liqvefactum in globulos cogitur.

326. 2. Distorsione, cùm eorum figura & situs mutantur, sicuti cernitur in reti vel panno in alteram partem vehementius traxo. Simile cogita fieri, dum arcus intenditur.

327. 3. Obstructione, quando materia in iis quiescit, vel tardius movetur, & alteri mobiliori viam præcludit.

328. Sic aqua pores velorum obstruit, quatenus tardius movetur aëre, unde ve-

lis madefactis, ac proinde transitum minus liberum vento concedentibus, velocius procedit navis; tardius iis excitatis.

329. Observi quoque dicuntur pori, cum angustiores redduntur aut tolluntur per condensationem §. 294.

330. Contra dicuntur aperiri, quoties rarefactione dilatantur aut materia levius percurrente replentur.

331. Nimis ut janua dicitur claudi & aperiri, licet foramen §. 299. vacuum existat nunquam.

332. Distorsio pariter & obstructio metatum esse videtur, cum particulae ramulorum instar in ipsis eminentes in quantum partem semel inclinatae, in contrarium, inflectuntur. §. 287.

333. Omnis ejusmodi pororum contemplatio Philosophum naturalem à vulgo vel maximè segregat, & in speciali Physica passim eximium usum habet.

Et hancen Physica Generalis, sequitur specialis.

CA-

CAPUT XI.

De MUNDO ejusque in partes sensiles & insensiles divisione.

334. Hactenus Physicorum pars generalis fuit, sequitur specialis.

335. In qua res naturales cum conjunctim, tum separatim contemplatur sumus, tuentes ordinem partis generalis, ubi de Unitate ad multitudinem procedebatur.

336. Natura in unum congregata Mundum concinnant:

337. Hic est immensa illa, ac ordinate, innumerorum ac ingentium vorticum, se mutuo immediatè contingentium, congeries, qua omnes res naturales continentur.

338. Hic autem mundus, sive corporum duntaxat rerum,

339. Sive omnium creatarum Universitatem notes,

340. Animo nisi unus concipi nequit.

341. Et si plures existere perhibentur, singuli rerum universitates esse negantur.

342. Nec multos existere affirmari potest, nisi intellectâ distantia.

343. Distare autem non possunt, nisi spatio interjecto.

344. Atqvi spatiū illud corporis est plenum.

345. Qvod corpus minimè potest corporeæ Universitatis, hoc est, mundi pars non esse.

346. Adeo ut contingendo ex eo & ceteris mundi corporibus unum systema non existere nequeat.

347 Cuncta ergo spacia, quæ mente unquam assequamur, materia seu corpore oppleta esse, ajentes, majori laude ^{1/10} Dei extollimus, quæ in unoquoque imaginabili reipse exercitata percipitur; quam alii, qui plures à Deo mundos creari posse contendunt,

348. Immensa sibi extra mundum hunc vacua imaginantes, ubi vires Dei exerceri demum queant.

349. Enim vero magis est, qvod re ipsa est, quam qvod esse possit.

350. Interea eo Mundum infinitum non afferimus.

351. Et

351. Et, si illum sola extensione, vel molie quantitate infinitum judicaremus,

352. Num putas fore, ut Dei infinitas, quæ non in extensionis corporeæ, sed integræ perfectionis plenitudine & Virtutis magnitudine vertitur, re quadam vel minima diminuatur?

353. Qvin imò ea affirmatione infinitatem Dei confirmamus, vim ejus in tanto Universo exseri judicantes.

354. Mundus ergo nobis *indefinitus* est, id est, neque extrema, neque medium, neque figura ei adscribitur.

355. Neque etiam formæ qvicqvam; eo qvod prorsus nullam rem materiale, unde distingvatur, inveniamus.

356. Interea forma, id est, pulchritudo, quæ nomen ei indidit, ad partes habito respectu, Mundo tribuitur.

357. Isthanc primo locamus in Varietate.

358. Quæ cum in rebus corporeis omni numero major, perlustrari nequeat, attente qvaqva, (extrinsecus & intrinsecus: animali & corporis oculis inspici est digna.

359. Tum in varietatis *Constantia*, non

C 7

in

in certo divinæ immutabilitatis indice.

360. Deformia quoque & monstrosa suum Mundo conciliant decus.

361. Nec parum lucis eminentiam ipsa tenebra commendant. Contraria enim collata magis elucentur.

362. Præterea Mundi pulchritudinem ponimus in rerum Dispositione, quæ se conspicendam præbet non tantum in locorum, sed etiam in temporis ratione.

363. Nec non in actionibus & passionibus mutuis.

364. Denique Mundi formam seu pulchritudinem in plenitudine esse sitam arbitramur.

365. Hujus consideratio in locis acerum generibus occurrit.

366. Mundo enim ex §. 339. continentur & puræ mentes & puræ corpora, & Homo e mente & corpore consistans.

367. Corpora respectu motus & quietis sunt aut simpliciter fluida, aut simpliciter stabilia (consistentia,) aut naturam & fluidi & stabilis participant.

368. Itemque vel quavis ratione, vel

ad globi, vel ad alterius incisa formæ instar figurari possunt.

369. Nec, quando cuncta loca corporibus oppleta sunt, quicquam materia vel è nihilo produci, vel in nihilum redigi, vel in spiritum seu mentem imutari potest. Et hoc pertinet ad mundi constantiam.

370. Contendis, à Deo fieri posse, ut corpus quoddam subito in nihilum occidat, atque eopse momento in idem loci aliud creando subdatur?

371. Resp. quid Deus possit, jam non queritur; at negatur naturæ corporeæ hujusmodi vim esse inditam, quippe quæ nihil præter motum ac divisionem præstare valet.

372. Moveri autem corpora, est ea in mundo transferri, nequaquam ibi perdere.

373. Diviso quoque materiam sive mollem corpoream nec facit, nec tollit.

374. Etenim omni corpori natura hoc dedit, ut dividi queat. (Se se autem procreando destruendo natura omnino impar est.)

375. Adeò ut locus denegetur *Atomum*, id est, corpusculis, naturâ suâ individuis, utpote qvæ partem extra partem, veluti dextram ac sinistram, non habentia extensa & corporea censeri non possent.

376. Locum quidem inveniunt *minima naturalia*, hoc est, corpuscula qvæ in sui generis minora dividi nequeant, veluti particulæ ex aquâ minimæ ulterius dividendo in vapores abeunt.

377. Excepta inde sit materia ad omne genus figurarum ac divisionis apta, qvæ indefinitæ parvitatis est, neqve minima naturalia unquam admittit.

378. *Mundus corporeus* dividitur in partes tum insensiles ac minores, tum sensiles ac majores.

379. *Insensilia* sunt minima, qvæ modo exposui, naturalia, aliaqve ex quibus corpora fluida construantur.

380. Ex insensilibus pluribus conjunctis natura coagmentat sensilia. Qvæ enim exili magnitudine sensus non afficiunt, ea crassiora sæpenumero illud faciunt.

381. Majora atqve eo ipso sensibus ob-

via rerum omnium prima & propemodum sola apud homines pernoscuntur suisqve discernuntur nominibus.

382. Idcirco eorum analogia sæpius nos ducit ad philosophandum & loquendum de minoribus atqve insensilibus. Cujus rei exempla vide §. 287. & seqq. § 381. & deinceps.

383. Ne vocum ac rerum novitatem inducere videamur.

384. Nam effectuum notæ semper, non ignotæ causæ statuendæ.

385. Similiumqve similes potius qvâm dissimiles, intelligi *causa*.

386. *Incognitas ac dissimiles causas* voco, qvæ neqve cum iis, qvæ in mundo corporeo clarè sentiuntur, convenient, neqve cum iis, qvæ ibi distincte intelliguntur, convenient.

CAPUT XII.

De Tripartitis Mundi aspe&stabilis corporibus, nimirum lumen e-mittentibus, transmittenti-bus, remittentibus.

387. **S**pecialis Physica initium capit & corporibus illis majoribus & generali hujus Mundi visibilis coagmentati-one, unde cætera pendent.

388. Ut ritè hic philosophemur, discen-dum est nullum quidem esse peccatum si Dei operibus pulchritudinem & per-fectionem omnibus numeris absolutam tribuas. §. 354. 356.

389. Delictum autem esse, eadem illa terminis sine prævia ratione sic circum-scribere, ut Dei creatoris sapientia, boni-tas & potentia, quas mentis suæ acie nemo qvisquam emetiri susineat, minoris à no-bis & stimetur.

390. Corporum igitur magnitudinem ac multitudinem nimium quantum coan-gustare dedecet, quasi Deo solutum non fuerit majora plurave perficere, qvam ut angustia captus nostri capiat.

391. Nec unqvm tibi perivaseris, res omnes nobis tantum creatas esse, adeo ut omnem operam in cognoscendis eis, qvi-bus prodeſſe aut obesse videantur, ponamus, mittentes earum propria naturæ pe-nitissima, cum horum notione minùs in-ſtructi ægrè illa pernoscamus.

392. Et hæc opinatio excutienda est, nos acumine ingenii nostri fines, qves in rebus singulis condendis sibi proposuit magnus Opifex, attingere valere, quasi ille sui conſiliū ſocios nos mortales legerit.

393. Sed potius è Dei, rerum omnium cauſæ efficientis, perfectionibus, quantum naturæ lumine capiuntur, de effectis ejus judicium metimur.

394. Neqvaqvam deniqve existimamus nos vel singularum rerum proprietates, qvarum varietas infinita, numero com-prehendere, vel cujuscunqve generis particularia definire posse. Universali-um enim est scientia nostra.

395. Quando verò nulla res, qvam mens noſtra hic in corporeo mundo versat lumen neqve longitudine, qva pertendat, neqve pulchritudine æqviparat, nec qvis-qvam

quam sensuum alius iisdem *Visum* antea a luminis natura observata primam Universi hujus in partes integrantes divisionem petimus.

396. Corporum enim alia lumen deferrunt, quæ sunt lucida, uti Sol.

397. Alia lumen quæqua transmituntur quæ sunt pellucida, uti cælum.

398. Alia lumen remittunt, veluti terra.

399. Namque terra suo lumine non radiat & alieno transitum obvallat. Ergo igitur inter lucida & pellucida negatione medium.

400. Fons hujus divisionis est motus cuius rei argumentum est *mittendi* verbum ter iteratum. Corporum vero maximæ præcipua conditio est motus.

401. Lucida ad visum accommodata tantum agunt seu movent, pellucida recipiunt sive aguntur & moventur, terra atque id genus alia corpora neque vere mouent, neque luminis motum, quæ talis est, patiuntur, sed ei resistunt.

402. Quæ resistantia negativa, per se neque actio, neque passio est, sed quodam utriusque medium. §. 399.

403

403. Divisio hæcce tam perfecta est, ut non modò rem visui *subjectam*, verum etiam videndi *organum* & *medium* comprehendat. Quæ tria corporis sensum absolvant.

404. Si quæ participationis media existant, veluti aqua, cuius coagulationis est, ut altera parte lucem non immitat, altera pelluceat, ea pro respectus diversitate diversa ad genera referas. Neque enim eò minus genera sibi adversantur. Exempla similia ex §. 366. seq. huc assumes.

405. Quid autem generis unicuique corporum sit tribendum, phænomena, accidente proprietatum in eis comparatione, edocent.

406. Ita ad Solis & Lunæ à Terra distantiam, eorum apparentem magnitudinem secum Astronomi metentes, Terrâ solem multò majorem, Lunam vero multò minorem judicant. §. 394.

407. Fixæ stellæ an Soli magnitudine cedant, per immensitatem distantiae ratione nostræ emetiri non licet.

408. Idcirco vulgi opinio à vero longissi-

gissime remota est , exili eas habentis patitatem.

409. Quando autem immensa locorum intercededine radios tam lucidos spargunt , ad solis instar sua ipsarum luce fulgere judicentur.

410. Solem verò esse flammat , lumen & caloris sensus confirmat.

411. Sed cum Luna nusquam resulget nisi ea parte , qva Soli est adversa , atque interdum sit opaca , Lunæ eodem modo ut Terræ lumen sol mutuat.

412. Mercurius item , Venus , Mars , Jupiter , ac Saturnus fixis lumen minus acutum habent . Et Soli tam sunt propinquvi , ut nitore ejus facile coruscet . Conf. §. 385. §. 409.

413. Haec stellæ dicuntur erraticæ seu Planetæ , qvoniam incertis quasi sedibus vagantes ordinem suum deserere videntur.

414. Fixæ contrà situm atque ordinem suum tinentur.

415. Cœlum verò esse fluidum nec dum corpus , varii cum Planetarum tuorum Cometarum errores satis luculentè nunciantur.

416. Cometas namque Cœlo , non aëre nostro , huc illuc vagari , nec non Planetas obscuritate æquivarare , à multis retrò annis cœlorum phœnomena docuere.

417. Præterea ad lumen qualibet transmittendum , nullius interventu umbræ , præter fluidum corpus haut illum sit idoneum.

418. Deinde in orbem itare cœlum , constans hominum opinio tenet , qvæ ipsa hypothesis tantisper habeatur , dum ratione probata fuerit.

419. Propter ejusmodi cœlestis & materiæ & motus , qualitatem Cœlo Vorticis nomen inditur.

420. Etenim Vortex est congregatio fluidis materiæ , quæ circa medium punctum vel centrum orbiculato motu circumcurrent .

421. Postremò tandem circa solis extremitatem corpora quædam lumen obscurantia conspicuntur , quæ Solis maculae nuncupantur.

422. Haec maculae in cœlestibus generationis & corruptionis argumento nobis sunt ,

sunt, quia disjectis aliis aliæ coarctata quotidie succedunt.



CAPUT XIII.

De tribus Mundi elementis, qua ad triplex rerum genus referuntur, & septem argumentis demonstrantur.

423. **I**n gentium illorum, quæ modo re censuimus, corporum naturam, principiorum in Physica generali traditorum auxilio, cognitris prædiscere convenit, cuiusmodi primordia cum ipsa Mundi, tum Cœli, vastam Universi regionem tenentis, constitutio requirat.

424. Mundi appellatione ut multitudo, ita varietas rerum elegantissima continetur.

425. Mundum igitur non intelligimus, ulla via confieri potuisse, nisi ut extensa materia a Deo motore omnium primo in varias partes abierit.

426. Nam ante divisionem omnem tota materia haud aliter ac una prorsus con-

tinu-

tinua & lumine destituta moles concipienda est. Quæ moles aspectabilem hunc mundum, corporum lucidorum, pellucidorum & opacorum admiranda varietate condecoratum, facere neutiquam potuit.

427. Præterea, quando Cœlum, ut quaque lumen transmittat & stellis pro varietate motuum cedat §. 415. §. 417. fluidum corpus est, divisio materia fieri debuit in particulas admodum exiles.

428. Quæ motibus diversis & quodammodo circularibus agitantur. Nam quia se ultro citroque particulæ confines obnoxie repellunt atq; omnigena rerum plenitudo habetur, singulæ motum suum recte persequi non potuerunt.

429. Qui varius ac circularis particularum singularum motus ostendit, illas in figuram globi paulatim conformatas, & attenerendo politas esse, hoc est, factas esse superficie æquabiles, figura admodum pulchras, si oculis cerni possent.

430. Quamvis in primo divisionis momento cunctæ globi formam assumere non potuerunt.

431. Illius per varium ac circularem aliquantisper continuatum, motum induit etæ rotunditatis exemplum videre licet in iis, quæ affabre torno fiunt.

432. Hujusmodi verò cœli particula cum assiduisimo attritu in globulos de tornarentur, iniquâ materia sunt rase, quæ detrita huc illuc quassata est.

433. Atque ex eo majorem partem ad modum tenuis & minutissima exstitit dum primò quidem angulorum acutissimæ extremitates, tum minus acutæ, denique obtusiores & obtusissimæ attritæ fuere.

434. Et quando ne minimum vacui usquam esse potest, ejusmodi ramenta cunctissime diffluendo, angusta, quæ inter cunctos erant globulos, intervalla è vestigio occuparunt.

435. Ac propter insignem tenuitatem suam quaqvaversus cedere paratissima cunctos inter globulorum agmen intercurrentes angulos, quos motus varietas quovis momento variat, figurâ illis accommodatâ omnino replerunt. Ita ut hincmodi cernas materiam, cuiusmodi in mundo dari supra demonstratur.

436

436. Exemplo, licet rudi & ad sensus accomodato, tibi erunt globi ligno facti, si undas innatent.

437. Neque ramenta tamen eadēm fuerunt subtilitate, neque pari celeritate fluxerunt. Apparet enim quantum inter se exilitate scobes ac limaturæ differant.

438. Idcirco sèpius ramentorum aliqua minus divisa alicubi haſerunt, vel etiam plura minus celeriter acta facile cohæserunt.

439. Eodem namque propendet natura, ut ecce vapores tenuitate diversi gelu minus acri stringuntur in aquam, acriori vero in glaciem.

440. Qvoniam verò prima hæc rerum corporearum elementa (quæ ita ferè se habent ad mundum, ut literæ ad magnum librum) superior ætas simili industria investigare supersedit, vocibus ab ea satis distincta nusquam leguntur.

441. Quocirca nobis placet materiam primi elementi appellare eam, quæ conflata est ex particulis indefinitæ parvitatibus, via quavis figurari aptis, ocyssime semper agitatis.

D 2

442.

442. Nam ante globulorum perfectiōnem tenuissima illa ramenta extiterunt.

443. Materiam autem secundi elementi vocamus ipſiſſimos illos definitꝫ parvitat s globulos celeriter propulsos.

444. Definit  parvitatis globulos ajo, qvia ex prima divisione materi  fabricati fuit, integerim  form , adeo ut neque adimi neqve addi quicquam possit. Et enim pororum, qvibus frangantur, nihil habent. Deinde nequaquam ex aliis particulis se prioribus, ne quidem minimis, in quas rursus natur  disolvit queant, coarctati fuere. Pr terea affabre rotundati sunt, adeo ut ulteriore rasuram non admittant, quia extremitate su  asperi esse desierunt. Sunt itaque minimo  natu-ralium prima.

445. Materi  tertii elementi nobis vo-
catur ea, qu  constat ex particulis crassio-
ribus, angulatis, moveri parum aptis.

446. C m enim inter globulos ex plu-
ribus fer  ramentis coagmentatis enata
concipiatur, ordinem hunc finit. Nec
immerito quieti motus, angulatis rotunda
anteponuntur.

447. Materiam hujusmodi in Universo existere, nemo post inspectam corporum terrestrium fabricam diffitebitur; quamvis in demonstratione bipartit  prioris materi , quam Philosophorum vulgus i-
gnorat, major evidētia insit.

448. Atqui elementi hujus tripartiti materiam dari, non solum extens  per to-tum universum corpore  molis prima di-
visio, sed & pr cipua aspectabilis mundi in partes integrantes distributio locuples testis est.

449. Enimvero quoniam tria genera corporum valde diversa in mundo visibili reperiuntur, veluti lucida, pellucida, & lucem remittentia, non quita fuerit eorum compositio non fieri ex totidem distinctis elementis vel partibus, iisque proximis.

450. Illud, proximis, adjunxi, quia ex prima, sed remota materia omnia construi non est quod ambigatur. Sic diversarum plantarum diversa semina, etiamsi à Tel-lure, ut communi matre, progigni omnes videantur.

451. Adh c intellectu facile est, qvi
ejusmodi particul  visum nostrum fugi-
entes

entes visibilia mundi corpora constituant. Quod §. 380. expositum fuit.

452. Quoniam verò Soli & Fixis naturam flammæ citra erroris metum tribuimus §. 410. neque in ullo corpore ac in flamma celeriori agilitate particulas experimur. Satis id causa est, quamobrem lucida corpora ex materia primi elementi congregata esse judicemus.

453. Unde *Ignis* nomen ei indatur, si tanta copia convenit, ut luce & calore sensum afficiat.

454. Hoc autem statuto atque asserto, *Lucida* corpora ex primi elementi materia esse facta, consequitur, *Pellucidum cœlum* è secundi elementi globulis ordinatum, particulis tamen primi elementi interfluis, quoniam oxyssimè fluenti primi elementi materiae, velocitate diffundi & ad fluida congregandum dispositione proxima est ea quæ dicitur elementi alterius.

455. Relinquitur ergo, ut corpora *lumen remittentia*, veluti Cometas, Planetas, nec non etiam Terram, ex tertii elementi mate-

materia crassiore atque angulata composita esse putemus.

456. Ita verò, ut particulas tertii elementi corpora terrestria atque id genus alia coacervantes non parva copia elementorum primi & alterius interfluant.

457. Perspicuum igitur ex eo evadit, Solem esse corpus simplex atque ex materia unius generis continuum. Cœlum verò ex materia duum, ac Terra ex materia trium generum quodam modo coivisse. Cujus ordinis ratio sanè illustris est.

458. Et eandem prorsus in tribus generibus corporum, qvæ aspectabilem mundum concinnant, natura servavit. Nam quæ lumen emitunt, & à qvibus initium radiatio capit, meritissimè primum; quæ transmittunt alterum; qvæ verò remittunt, infimum tenent locum.

459. *Tertium argumentum* materiae trilicis elementi à figurarum contemplatione, qvam tradidit generalis Physica, tractum est.

460. Poteſt enim esse particula mundanae materiae formâ aut omnigenâ (materiae primi elementi indice) aut non; Si

non, certum habet figuræ genus. Atque ea est aut angulis prædita aut iis destituta. Si destituta, erit sphærica, quæ materiam secundi elementi facit. Sin angulis incisa est, ad materiam tertii elementi pertinet. Nec unquam fiet ut quartum superaddatur, aut tribus hisce unum derogetur.

461. Et, si Universi perfectio ac plenitudo aliquam partem in rebus omnium generum sita est, utique in primis rerum principiis varietas hujusmodi figurarum considerari digna est.

462 *Quarto argumento triplicis elementi materiarum nobis illud est: Unum ex illis admissum cætera duo seqvuntur.*

463. Nam si spectentur dum fiunt, constat ex ante dictis, neque elementi primi materiam absque materia secundi, neque illam elementi tertii absque utraque precedente nasci potuisse.

464. Si spectentur postquam facta sunt, manifestum etiam est, neque globosæ mundi particulas, neque angulosas ullas absq; iis, quæ modis quibuslibet inflentur & figurantur, posse existere.

465.

465. Tùm, qui lucidis corporibus assignavit elementi primi materiam, uti par est, non potest non perspicuo secundi, & opacis tertii elementi materiam assignare.

466. *Quintum argumentum est, qvod is qui unam agnoscit ex tribus illis proprietibus, quas cuique elemento attribuimus, cogatur etiam duas agnoscere reliquas: v. g. qvia elementi primi materia quilibet potest recipere figuræ, ad minutissimos ubique angulos, quovis momento omnino replendos, necesse qvoque est ut moveatur celerrimo, atque in infinitam dividatur. Sicut tertium elementum angulosas habet figuræ, tardius movebitur.*

467. Tantus omnium & singulorum concentus, numerusqve & ordo tam pulcher & immutabilis locum in figuramentis habere nequit, sed in iis duntaxat, qvæ vera fundamentum habent in natura.

468. Qvæ consideratio attentior non modò cuncta præcedentia roborat, sed etiam sextum nobis parit argumentum; nemirum, qvod ad elementa, qvæ posuimus, enumeranda, distingvenda, ordinan-

D 5

nanda non sit opus illas alias comminisci formas præter illas ipsas, qvarum capa-
cem esse materiam extensam, & unde o-
mnem corporum oriri varietatem jam in
principio docuimus.

469. Nec sanè formas ejusmodi in re-
bus dari, & singulari naturâ affinitate in-
ter se & cum materia devinciri, ullus un-
qvam in dubium revocavit.

470. *Septima*, & ipsa qvidem longe vali-
dissima, trium elementorum demonstra-
tio à posteriori spectanda & expectanda
est in seqventibus, ubi admiranda naturæ
opera & arcana plurima nulli olim Philo-
sophorum, cuius qvidem ad nos devene-
rint, perspecta, è superioribus principiis
ordine deduci perspicue deprehendimus.

471. Hoc igitur agamus sedulò, ut,
quomodo ex tribus, qvæ statuimus, ele-
mentis, vasta mundi corpora siant (nam
qvod inde facta sint, jam in antecessum
docere instituimus §. 459.) qvasnam in-
de proprietates nanciscantur, paulatim
& quasi per gradus contemplemur, ordi-
entes à cœlo, qvo nihil in Universo patet
latius. Ac sicuti volumen ingens evol-
ventes,

ventes, (respice antiquum volvendi mo-
rem) initium faciunt ab exteriore, quod
reliqua ambit, folio; ita nos in magno mun-
di libro explicando rectè incipimus à Cœ-
lo, qvod ambit omnia. Simili ordine
jam supra ab exteriore corporum figura
ad interiorem pororum progrediebamur.



CAPUT XIV.

De Cœlo & Sole, Luceque
in utroque.

472. Cœlum, si qvidem in orbem a-
gitur à centro sui motus, qvan-
tum in ipso est, per lineas rectas abire nitit-
tur.

473. Haud secus ac lapis in funda rota-
tus, versus omnes partes recedere cona-
tur à manu, qvæ in centro illius circuli
est.

474. Neqve enim hoc *gravibus* corpo-
ribus peculiare esse, sed omnibus in orbem
actis commune, manifestum est. Nec
potest esse à *duritate*, cùm ea non in motu,
sed quiete consistat. Et si moveantur

Dur

dura,

dura, non apparet, qvomodo vi duritiae magis ad rectum, qvam ad obliquum motum impellantur.

475. Denique, si quid eo faciat duri-
ties, stabilitas & consistentia, qvæ vel maxi-
mè est in globulis cœlestibus, eo nomine
intelligenda erit, qvam ad sensus tactus
referri nihil attinet.

476. Qapropter non tantum omnes
globuli cœlestes à medio Cœli versus ex-
teriora recedere conantur, sed inferiores
etiam necessariò premunt superiores, cùm
ob soliditatem summam alii ab aliis com-
minui vel à superficie sphœrica introsum
cogendo deflecti nequeant.

477. Igitur in punctis mutuò se tan-
gunt omnes, adeo ut pressis centro proximi-
mis simul premant illi qui in periph-
eria.

478. Non aliter ac baculi, ejus etiam
qui à summo cœlo ad terram usque por-
geretur, extremitas altera dum premi-
tur, eopse momento pressio est & senti-
tur in extremitate altera.

479. *Pressionem* ejusmodi dico mo-
mento propagari, utpote qvæ non tam
est

est motus, qvi omnis est successivus, qvam
prima ad motum præparatio.

480. Quemadmodum verò incitatio
illa lapidis in funda vel baculi impulsus
sensum tactus afficit, cùm crassæ illa sint
ac dura corpora, sicuti sensus ipse crassus.

481. Ita globorum cœlestium secun-
dum lineas rectas pressio, si tam fortis sit,
ut aliquem sensum afficiat, cum valde
subtilem pro subjecto materiam habeat,
non nisi visum sensuum omnium subtilissi-
mum, efficere poterit.

482. Nec alijs præter visum sensus à
cœlestibus aut priùs aut sèpius moveri de-
prehenditur.

483. Moveretur enim quotidie, nec ali-
ter qvam luminis interventu.

484. *Luminis primariae proprietates*, ex
qvibus dependent reliq'væ, sunt istæ tres:

485. Qvod 1. à sole in omnes partes æ-
qualiter diffunditur.

486. Qvod 2. minimo temporis momen-
to ad qvamlibet distantiam extenditur.

487. Et qvidem 3. secundum lineas
rectas, qvæ radii nuncupantur.

488. Qvæ omnes cùm non nisi per co-

natum illum recedendi à centro seu *professionem globorum cœlestium* intelligibili ratione explicari possint, Luminis per totum Universum propagationem in ea sola consistere nulli dubitamus.

489. Sic minimè opus est ad Luminis naturam demonstrandam vel materiax aliquuj effluxum atque indè ad nos descensum excogitare, quippe qui universalis & perpetuus, momentaneis & rectilineus esse non potest; Vel aliud quidvis comminisci.

490. Et patet è dictis, quomodo lumen non modò pertotum cœlum, verùm etiam per aquam, glaciem, vitrum, & alia corpora, quorum pori sine interrupzione recti à globalis cœlestibus occupantur, sine mora & effensione omni diffundatur. Hinc spongia licet millecupo latiores poros habeat quam vitrum, pellucida tamen non est.

491. Atque ea, quæ diximus, omnia ita in cœlo se habere cognoscimus, dum vel solum cœlestis materia à medio recedendi conatum attendimus.

492. Num verò conatus ille effectum suum in cœlo sortitus unquam fuerit (uti eum

eum sortitur in lapide ex funda egrediente) quætere licet.

493. Resp. Materiam cœli non potuisse non reapse à centro aliquando & aliquò usqve recedere.

494. Quia globuli, ex quibus cœlum constat, assida gyratione, donec omnino spharici essent, magis magisque attriti, prossus ad invicem accessere.

495. Unde quantitas materiax primi elementi ex ista abrasione ortæ, major in universo existit, quā ad spaciola inter globulos interjacentia implenda requirebatur.

496. Quæ materia residua neaessario ad centrum vorticis confluxit.

497. Qvoniam secundi elementi particulae, quippe *majores*, majorem indè recedendi vim habuerunt.

498. Et primi elementi minutiae, utpote *mobiliores* & semper fluidæ, facilius aliis ictis, quæ singulæ itabiles & solidæ locum cesserunt.

499. Nempe locus, quem crassiora corpora deserunt, à subtilioribus illico occupari solet, ut apud nos patet in Aere.

500. Et similia sic in centro congregata facile in eosdem motus consensere, abundantibus inde dissimilibus.

502.

501. Jam si per materiam illam, qvæ ad centrum vorticis ita confluxit, corpus solare intelligamus (nam aliud qvam lucidum intelligere non possumus.)

502. Quomodo *Sol in medio Cœlo* productus sit, nec alibi existere potuerit, cognoscemus.

503. Qui locus respectu totius vorticis revera *infimus* est. Unde superiores Cœli partes dicuntur, qvæ à sole remotiores, inferiores qvæ ei propinquiores.

504. Cognoscimus etiam, qvomodo propter æqualem vorticis à centro ex omni parte recessum, *sol totus sphaericus evaserit*, nec aliam assumere figuram potuerit.

505. Discemus denique, qvomodo ad centrum initio confluens illa materia solaris vorticis *circularem motum* secuta fuerit & non potuerit non seqvi.

506. Atqve hunc motum, quo turbinis instar in medio *sempre* gyrat, sol jam perfectus retinet, ex lege naturæ prima.

507. Ita *conatus recedendi* à centro in materia cœlesti *lumen* produxit, qvatenus ejus subjectum sunt globuli: sed actualis à centro *recessus* produxit ipsum *luminare*, qva-

qvatenus est materia primi elementi magnâ copiâ in medio congregata.

508. Adeò ut hac philosophandi methodo prius luminis qvam luminaris oratum animo concipiamus.

509. Cumqve sol, non minus qvam vortex ambiens, à centro sui motus recedere nitatur.

510. Undique premit circumiacentes sibiique mutuo incumbentes Cœli globulos.

511. Multumqve intendit istâ ratione vim illam, in qua lucem consistere diximus, qvia pressio pressione additur.

512. Imò nisi hæc solis vis efficax accedit, cœlestis materia pressio non videtur sufficere ad oculos nostros afficiendos.

513. Adeò ut Cœlum per se spectatum luminosum quidem sit absolute, at non ad sensum (est enim invisibile) nisi virtute solis accedente.

514. Sicuti bacillus exiguis, duriori manui altera extremitate insistens, virginitatis quidem deorsum fertur, sed ita ut impulsus vix sentiatur. At pressio satis fortis percipietur, si altera extremitas ab alia insuper vi prematur.

515. Propensio verò ad motum seu pressio, qvam diximus, in Luminari ipso ceu principio & fonte, hoc est, in materia primi elementi spectata, proprie vocatur *Lux*. At qvatenus consideratur in progressus, nempe in Cœlo seu materia secundi elementi, distinctius loquentibus appellatur *Lumen*: qvamvis hæc nomina persæpe confundantur.



CAPUT XV.

De Cœlis & Fixis; Illorum numeris, figura, motu, situ & ordine.

516. **A**T inquis, si 1. Sol totus in medio Cœlogyrans à centro sui rotus recedere conatur, idemque 2. facit materiam totius vorticis sive Cœli, præterea 3. Sol premit materiam vorticis circumpositam, demique 4. globuli inferiores premunt superiores à centro ad peripheriam usque: Cur non avolat à centro sol ac celestis omnis materia, quid modum aut terminum vortici extrorsum tendenti ponit?

517.

517. Resp. Ut lapis impeditur à fundane exeat: ita Sol à globulis circumpositis, inferiores globuli à superioribus, & ultimi tandem à vorticibus contiguis stellarum fixarum contraria pressione renitentibus, intra certos limites cohibentur.

518. Atqve ita à singulari Cœli & Solis contemplatione ad pluralem Cœlorum & stellarum numerum provehimur.

519. Nisi enim tot vortices statuamus, quot in Cœlo stellæ fixæ existunt, lux eorum explicari neqvit.

520. Cumqve similium similis ratio sit, Solis & Fixarum convenientiam etiam in hoc capite licet agnoscere.

521. Dato autem proprio unicuique stellæ fixæ vortice, non modò i. admirabiles lucis proprietates, ex Physicæ generali principiis deteguntur: animadverso, quod pressio & propensio ad motum iisdem legibus obnoxia sit, qvibus motus.

522. Et 2. fixarum situs & perpetuò æqualis à se invicem distantia.

523. Omnimqve 3. figura prorsus sphærica, explicantur.

524. Verum etiam 4. demonstratur, Cœlos

Cœlos non esse perfectè sphaericos, qvia propter amplitudinem sui ambitus magna spatia triangularia inter se relinquerent, materia primi vel tertii elementi, id est, corporibus lucidis, aut opacis replenda.

525. Atqvi ejusmodi corpora inter Cœlos interacentia nec ullo sensu percipimus nec qvomodo eò pervenire, aut ibi morari possint, ratione cognoscimus.

526. Ulterius demonstratur 5. *Cœlos esse fluidos vel in illis ubiqve esse aliquid subtile*, qvod à stellæ cujusque corpore usque ad oculos nostros actu continuo & nusquam interrupto ad modum incitetur.

527. Demonstratur 6. *Cœlos moveri in orbem* (qvod hactenus pro hypothesisolum habuimus) qvia versus exteriora semper tendentes, aliquæ in alios impingentes rectum motum in circularem vertere coguntur.

528. Demonstratur 7. *illos Cœlorum motus esse sempiternos*, qvia tum circa proprium axem singuli moventur in orbem, non occurunt corporibus qviescentibus aut tardius motis, qvib⁹ motum comunicando moveri desinant: Determinationem

verò

verò motuum qvod attinet, eam sic temperatam esse, ut vortices se invicem non facile destruant, postea videbimus.

529. Demonstratur 8. etiam *stellarum motus & circulares esse & perpetuos*, qvia consentiente cum Cœlo ambiente determinatione actæ tantum abest ut in motu suo impedianter, ut potius in eo conserventur ab eodem Cœlo.

530. Demonstratur 9. eo loco qvodque Cœlum terminari & à vicinis seu contiguis distingvi, ubi vires, qvib⁹ vortices se invicem per lineas rectas premunt, §. 526. in æquilibrio consistunt.

531. Vis enim illa reciproca pressionis non tota deletur nisi in centro cujusque vorticis, ubi propter sideris lucidi prævalentem omnino nixum, renixus aliorum vorticium evanescit.

532. Unde seqvitur tantò minus oculum videri posse stellas fixas, qvantò Soli propinqvior extiterit, qvoniam vires illarum eò magis languescunt ac debilitantur, qvò Soli vicinior locus fuerit.

533. Et facile qvoqve è dictis intelligitur, cur interdiu stellas fixas non conspi- ciamus

ciamus (licet & qvæ tunc ac noctu in Cœlo existant) qvia solis radii ad terram renitentes atq; inde reflexi majorem vim habent fixarum radiis obnitiendi, qvam ut hi oculos nostros afficere possint. Atque hoc est qvod ajunt; *lumen majus obfuscat minus.*

534. Qvæ causa cùm cesseret ubi oculi nostri tenebris undiqvaqve circumfusi sunt, apertum est, cur non solum nocturno tempore, verum etiam diurno, in profundo ac tenebricoso puteo existentes (qvod sereno die, non tamen ipso meridie experiri licet) stellas conspiciamus.

535. Sed cùm Cœlum unumqvodque habeat polos suos, circa qvos in orbem agitur, habeat etiam loca à polis remotiora & remotissima, ubi *ecliptica* (qvæ omnia in globo monstrare licet) qvaritur, qvibus partibus se mutuò contingant. Cœlorum vortices.

536. Resp. Forum circulares motus ita attemperatos esse debere, ut maneant qvidem distincti vortices: id qvod stellarum distinctio postulat,

537. Nec tamen nimium sibi adversentur,

tur, ob determinationis contrarietatem, sed potius occursu mutuò se quam minimum in motu suo impedian.

538. Utrumque ad mundanæ fabricæ constantiam & perfectionem facit, haud secus ac in republica distincta quidem civium officia esse convenit, sic tamen uno evertatur alterum.

539. Itaque vortices sic inter se dispositos esse convenit, ut polus unius non tangat polum alterius, sed locum aliquem à polis remotum.

540. Nam si duorum vorticum poli se mutuò tangant, vel ambo in easdem partes ferentur, consentient emotuum determinatione. Atque ita (cùm non dura, sed fluida corpora sint, §. 528. nec fluida diversæ, sed ejusdem naturæ,) in unum vorticem coalescent, vel in contrarias partes ferentur, dissentiente motuum determinatione.

541. Quia ratione sibi mutuò quam maxime repugnabunt, ita ut eorum motus perpetuari nequeant. ex

§. 531.

CAPUT XVI.

De Motu materiæ primi & secundi elementi & stellarum alimento.

542. Hactenus vidimus de conatu & motu non modò Cœlorum, quatenus ex materia secundi elementi constat, verùm etiam Solis & Fixarum, ex elemento primo.

543. Restat ut distinctius attendamus, quomodo *materia primi elementi* extra sidera lucida inter globulos secundi elementi agitetur.

544. Nam in Solis quidem aut Fixo corpore coacervata multum habet virium, propter consensum suarum omnium partium in eosdem celerrimos motus, quibus protrudit globulos circumjacentes.

545. At extra sidera inter globulos vis ejus *divisa debilis* adeò est, ut singulæ ejus minutæ à vicinis globulis trudantur huc illuc, eorumque variis motibus obsequi cogantur.

546. Ibi ergò hæc materia habet L.
mo-

metum proprium varium, in minutiarū suarum figuris assidue mutandis ad omnes quos transit angulos prorsus implendos.

547. Habet 2. *motum circularem* torti vortici communem, qui *progressivus*, qualis est corporum, quæ in poris aliorum continentur & ab iis deferuntur.

548. Habet 3. *motum rectum* itidem proprium; dum per vorticis circularem motum versus partes à polis remotas (ubi major vis) magnâ copiâ expellitur, ita ut conatus recedendi à centro, qui est in illis particulis cum vortice in gyrum ducis, effectum sortiatur.

549. Obtendes, cum unius rei unus tantum sit motus proprius, non posse materiam primi elementi dupli motu proprio ferri, præsertim vario simul & recto.

547. 549. 550. Respo. Motum illius materiæ proprium unum quidem & eundem esse, à centro nimis ad peripheriam, per linéam rectam: in quo tamen progressu vel egressu variis modis figuraatur. Simile effet, si hinc rectâ ad parietem per canalem alibi latiorem, alibi angustiorem, alibi qua-

si quadratum, alibi rotundum, alibi triangularem liquor aliquis currat.

551. Nempe figurarum illa mutatio in materia primi elementi pendet à globulis, inter quos versatur; at resus ejus progressus à Sole expellente procedit.

552. Ad hæc eodem impetu, quo materia primi elementi per eclipticam unius vorticis egreditur, eadem per contigui vorticis polum, §. 541. in illum ingreditur, (cùm in polis minor sit resistentia) & quidem per interstitia globorum rectâ pugnans ad ejus centrum.

553. Ad centrum verò appellens miscetur illa cum materia sideris lucidi §. 545. ut flamma flammæ, flumen jungitur fluminis.

554. Quod proinde fidus non magis unum idemque manet, quam Oceanus, in quem alia continuo aqua ingreditur, dum alia ex eo egreditur.

555. Unde palam est, quodnam Solis aliorumque ignium cœlestium sit alimentum: de quo scrupulum plurimi movent ex illo principio: quod omnis ignis requirat pabulum.

556. Est nimis hoc alimentum ipsissima primi elementi materia in locum similis abeuntis ad fidus continuò accedens.

557. Hoc sidera per vortices ultro citroque sibi mittunt, dando quod per eclipticam egreditur, & recipiendo quod per polos ingreditur.

558. Et quis neget simile substitutione similis facile reparari? Rhenus aut Albis posterita semper idem esse judicatur; imò motus in toto mundo sic eadem semper quantitas.

559. Sed oppones, non posse materiam primi elementi per vorticis polos ingrediendo à peripheria ad centrum currere, cùm tota Siderum & Cœli materia determinatione contrariâ perpetuò tendat à centro ad peripheriam.

560. Resp. Posse facile materiam primi elementi per angustissima globorum intervalla introrsum ire, dum globuli extorsum feruntur, secundum ea quæ habuimus.

561. Tandem de globulis ipsis observa, quod sideri propinquiores circulum suum cele.

celerius absolvant, quam remotiores, usque ad certum terminum.

562. Cùm sidus medium celerrime semper agitatum Cœli partem sibi vicinam aliquò usque secum rapiat.

563. Et hi ipsi celeriores etiam sunt minores aliis. Majores enim si essent, plus virium haberent à centro recedendi.

564. A Equales autem cuncti globuli esse nequeant, propter inæqualitatem & spatiorum, quæ percurrunt, & motus inde ortam.

565. Ut nec ipsos fixarum globos nec Cœlorum vortices magnitudine æquales omnes esse credimus.

566. Quamvis non eamus inficias vulgaris divisionem fixarum in stellas primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quinta, & sextæ magnitudinis à sensuum tantum apparentia desumptam esse.



CAPUT XVII.

De Solis & Fixarum maculis, novisve Stellis.

567. Quidammodum verò globuli secundi elementi: ita quoque pri-

mi elementi particulæ, subtilitate ac celeritate differunt.

568. Nam quæ in generatione globulorum tum in principio, cùm à perfecta rotunditate multum distabant, tum in fine, quando ferè perfecti erant, tum intermedio tempore, abrasæ sunt, omnes æquè atteti ac dividi non potuere.

569. Nec situs ac motus globulorum majorum ac minorum perpetuò varians eismodi æquilitatem permisit.

570. Potuerunt igitur aliquæ primi elementi particulæ inter tres globulos se multo contingentes indivisa manere: vel etiam, si dividi cœpissent, spatiorum quæ transeant lateribus compressæ & conclusæ tursus conjungi (uti pollinis aut scobis particulæ compressæ cohædere cernimus).

571. Quæ licet propter figuræ angulofas & molem suam tantæ agitationis capacities non sint, ut motum illum varium recipiant, de quo §. 547. sufficiunt tamen ad motum rectum à polis, in quibus est minor motus, versus medium Cœli.

572. Has particulæ, quamdiu inter globulos secundi elementi versantur, materiae

primi elementi annumeramus. Quoniam ibi necdum proprium & novum earum effectum crassiores massas componendi, sed communem duntaxat & primum spatia globulorum triangularia replendi, animadvertimus.

573. Et si tot nomina rebus imponere vellemus, quot in iis varietates dantur, ut sane in hac materia primi elementi dantur innumeræ, nominandi finis aut modus esset nullus.

574. Sed quando ad corpus sideris accedunt crassiores ac tardiores istæ partculæ, quia non possunt cum reliqua subtiliore ac celeriore elementi primi materia in similes motus consentire.

575. Illæ ab his separantur, quemadmodum spuma ab effervescente liquore, ac sùm, ob novum prorsus effectum, peculiare tertii elementi nomen adipiscitur.

576. Nam ob maiorem quantitatem, tardiorum motuum figuræ denique angulosas facile sibi mutuo adhærentes, moles ibi permagnas aliquando componunt.

577. Quæ intima Cœli superficie contiguæ, sideri ex quo emerserunt, adjunguntur

tur, & in superficie quidem Solis maculae appellantur.

578. Quoniam resistunt pressioni lumenis, instar nubis aut fumi lucem & ignem obtenebrant, vel etiam instar spumæ, quæ superficiem liquoris tegere & obumbrant solet.

579. *Permagnas* dico moles, utpote quæ latiorem etiam, quam tota Germania est, circa solem aut Fixas, tractu occupare possunt: quoniam ingentium eiusmodi corporum effluvia minimè parva cogitanda.

580. Quamvis autem ingentes adeo sint maculae, potest tamen à tenui orta principio tanta moles subito congregari, ac subito iterum dissolvi, exemplo nubium I. Reg. 18. fin.

581. Quemadmodum enim nubes & fumi aliquando à ventis dissipantur, & spuma à liquore diutius ebulliendo resorbetur & absurbitur: ita maculae interdum partim attenuatae refunduntur in solem, partim per Cœlum vicinum disperguntur.

582. Hæ posteriores dissolutarum m-

cularum particulae, si crassiores fuerint quam ut per angustos, qui sunt inter globulos, meatus transire possint, ipsa etiam globulorum loca subingrediuntur.

§83. Et propter figuræ suas valde irregulares & ramosas tardius motæ sibi multo nonnihil quidem adhærent, nec ulla camen modo se premunt.

§84. Quâ ratione molem quandam rarissimam circa Solem & Stellas componant, aëri nostro haud absimilem, quæ dicitur *Atmosphera*.

§85. E contrario sicuti nubes quandoque coguntur in pluviam, nivem vel glaciem, & fumus in fuliginem concrescit. ita maculae nonnunquam condensantur & indurantur.

§86. Nam cum initio mollissimæ sunt & rarissimæ, (quippe ex ramentis primi elementi compositæ, quorum sibi multo adhærentium subtilissimæ extremitates quasi ramulos quosdam faciunt,) facile frangunt impetum plurium aliorum ejusdem primi elementi ramentorum, quæ deinceps in ipsas impingunt, & illa sibi ad-

adjungunt, exemplo eorum, quæ celeriter mota in Lunam incidentur.

§87. Quæ materia recens adveniens potosearum occupat.

§88. Quos ipse etiam sol perpetuo versus exteriora tendens, premendo angustiores facit: simili modo, quo nix condensatur & induratur pressione.

§89. Unde maculae, prout magis minusve densata & indurata, vel etiam multiplicata aliaque aliis superinductæ sunt, possunt totum aliquod situs obtegere.

§90. Adeo ut vel minus appareat §. 579. vel prorsus etiam dispareat §. 513. doct.

§81. Rursus apparere subito potest sidus antea non visum (quod novam stellam tunc appellant.)

§92. Si vortex maculam ambiens vorlices vicinos, fortius premendo, quam ab illo prematur, fines suos latius extendat, ita ut materia primi elementi solito copiosius ad sidus obscuratum affluens, supra maculam, quâ tegitur, se diffundat, ut aqua se diffundit supra glaciem, quoties majore copiâ affluens infra eam contineri nequit.

593. Jam si crassior ista sit macula, quam ut à materia primi elementi circumflente dissolvi queat, exterior ejus superficies densabitur & perpolietur, ferè quemadmodum interior §. 589.

594. Atque interim si prævaleant vici-ni vortices, stella nova paulatim iterum disparebit. Ita per vices eadem stella pos-t est apparere & disparere.

595. Talis etiam *alternatio* naturæ valde familiaris est in iis quæ moventur, ut patet in libra, campana, vase liqvorem con-tinente, ubi semel concussum fuit.

596. Sidus autem maculis omnino in-volutum cum nil juvet pressionem, qua vortices disterminantur, contingere pos-test, ut a potentiore vortice, cuius sidus ma-culis non est obrutum, vortex macula-rum interventu debilitatus atque imminu-tus absorbeat, præsertim is, cuius situs est minus conveniens.

597. Qvod in principio rerum, in mun-do constituendo magis, quam nunc, in mundo constituto, evenire potuit.


598. Atque dum vortex alius ab alio
sic

sic destruitur, destructi sidus pariter cum ipso abripitur.

599. Qvod ea ratione degenerat in Pla-netam vel Cometam, (prout motum vor-ticis, à quo semel abreptum est, aut per-petuo sequitur, aut non,) à primo corpo-rum genere ad ultimum detrusum.

600. Id est, cum antea fluidum & luci-dum corpus fuerit, nunc durum est & o-pacum, ex plurium congerie macularum compositum §. 590.

601. Nimirum, ut origo materiæ tertii elementi arcessitur è materia primi, ita cor-pora tertiaræ classis ex corporibus classis primæ, mutatione quam diximus interve-niente, fieri cogitantur.



CAPUT XVIII.

De Cometis & Fixarum scintilla-tionibus.

602. C ometa vocatur opacus iste glo-bulus, si adeò solidus, id est m-
gnus

gnus simul & compactus atque agitatus sit, ut ex alio vortice in alium transeat.

603. Sic navis major & validius mota, in aquæ vorticem incidens, solet quidem ejus motum aliquo usque sequi, sed antequam gyrum integrum fecerit, ex eodem evadit.

604. Nempe Cometa initio quidem non potest non quodammodo sequi motum vorticis, à quo abripitur, sed quia plus agitationis habet, mox inde abit.

605. Ut navis fortiter impulsa motum quidem fluvii aliquo usque sequitur, attenuatamen inde ad ripam evadit.

606. Itaque Cometa modò hanc modo illam Cœli regionem, ac sèpius ne medium quidè Cœli partem percurrit, dum à centro remotior in extremitate ejus vagatur.

607. Et intra paucos menses vel dies à conspectu nostro ad alios Cœlos abit.

608. Ex quibus vel propter nimiam distantiam radios alienos, ad nos reflectere nequit.

609. (Licet Fixæ stellæ propria luce fulgentes continuatâ vorticem pressione nos illuminare possint.)

610.

610. Veleiam, quia partem illustratam sideri vorticis, in quo versatur, obvertit,

611. Non possunt inde radii Cometæ, utpote per corpus lucidi sideris, ad nos transmitti.

612. Quod enim sua luce radiat sidus, alieno lumine pellucidum esse nequit.

613. Præterea *comam vel cædam* (unde nomen accepit) Cometa in parte à Sole magis *aversa* nobis exhibet, quam si in omnes partes dispergere videatur, Cometa inde *Rosa* dicitur.

614. Causa hujus phænomeni ex eo petitur, quod globuli cælestes, per quos radii transmittuntur, non æquales ubique sunt §. 564. & seq.

615. Sed à certo quodam termino minuntur usque ad solem.

616. Nam inde sequitur, radios lumenis, qui per maiores globulos communicaunt, cum ad minores deveniunt, non modò secundum lineas rectas progredi, quibus, utpote præcipuis, corpus seu caput Cometæ appetat; verum etiam ex parte ad latera refringi ac dispergi.

617. Quibus ut secundariis radiis, cri-

nes Cometæ exhibentur, aut in omnes partes aut in unam tantum prætensi, prout radii aut perpendiculariter aut obliquè incident.

618. Ita si lapis ad perpendicularum incidat in aquam, illa undique aqua & aquabiliter dispergitur; si obliquè incidat, contrahit.

619. Eadem refractionis ratio potest quaque causa esse cur Fixæ scintillent.

620. Quæ tamen scintillatio etiam à vaporum & halituum in aëre motu proficiuntur.

621. Similiter namque modo lapilli in fundo quiescentes, ob rapidum superfluentis aquæ motum, tremere videntur.

622. Ex dictis constat, quomodo Cometæ differant à novis illis stellis, quæ cum in centro peculiaris vorticis adhuc versentur, fixarum loco nec dum deturbantur.

623. Constat insuper, quomodo Luna privari lumine, stellæ de Cœlo cadere seu in alium vorticem incidere, Cœlorum virtutes, quibus se invicem premunt, commoveri possint. Match. 24, 29.

624.

624. Item si contingat, solem, eā quæ dictum est ratione obscurari & in Cometam verti.



CAPUT XIX.

De Planetarum ortu, situ, & motu.

625. Planetæ differunt à Cometis, quod, cùm sint minus solidi, in Solis vor- tice semper manent. Conf. §. 602. seqq.

626. Quemadmodum parvæ vel minimæ agitatæ naves facile detinentur in vortice aquæ vel fluvio, in quem semel incidencent: ita ut cursum ejus perpetuo sequantur.

627. Cogitare enim licet, tot vortices debiliores à fortiore solis vortice in principio rerum paulatim abreptos. §. 597.

628. Quot nunc in Solis vortice Plane- te reperiuntur.

629. Et prout major minorè horum Planetarum est soliditas, ita magis aut minus à Sole remotos fuisse.

630

630. Nempe *Saturnus* inde est remotissimus, qvi si paulo plus agitationis & soliditatis habuisset, Cometa evasisset.

631. Seqvitur *Jupiter* cum quatuor Planetis secundariis, qvos versus eum de lapsos judicamus, anteqvam à solis vortice absorberetur is, qvi *Jovem* in medio cōtinebat.

632. Vicinior Soli *Mars* est, qvi licet minor Terrâ, solidior tamen eâ esse potest, ob coniunctionem partium suarum arctiorem.

633. Adhuc vicinior Soli & peculiari vortice cincta *Terra* est, circa quam spatio mensis defertur *Luna*.

634. *Luna* qvippe versus Terram, ut *Jovis* Planetæ circa *Jovem*, confluxisse videtur, priusq; hæc circa *Jovem* deferretur.

635. Propior, qvam Terra vel *Luna*, soli est *Venus*.

636. Sed proximus illi est *Mercurius*.

637. Hic si inter solem & Venerem interponatur, *Venus* eclipsin patitur.

638. Planetæ inferiores non modò ci-

tro

centro propinqvioris brevitatem; sed mo-
tuq; magis concitato moventur.

639. Qvia Sol celerrime gyrando vici-
nasecum abripit.

640. Ita Mercurius tribus, Venus octo
mentibus, Terra cum Luna uno anno, Mars
biennio, Jupiter duodecim, Saturnus tri-
ginta circiter annis, materia Cœli omnes
deferente, Solem circumveunt.

641. Sic vèrò Solem circumveundo non
in eodem semper piano versantur; sed mo-
dò ascendunt, modò descendunt, ut globi
lignei in fluvio natantes.

642. Qvæ vocatur aberratio in latitu-
dinem.

643. Item à Sole aut longius recedunt,
aut propius ad eum accedunt, sive Aphelia
& Perihelia sua habent.

644. Qvæ nominatur aberratio in lon-
gitudinem.

645. Hi Planetarum errores, unde Stel-
le errantes dicuntur, à variis causis pen-
dunt.

646. Nam qvia Cœlum non est omni-
no sphericum, necessum est, ut materia
Planetarum deferens in spatio latiore fluat

len-

fluat lentiùs , in angustiore celerius

647. Adeo ut ibi longius , h̄ic minus longè Planeta excurrat §. 643.

648. Adhæc materia primi elementi & vicinis Cœlis versus nostrum fluendo , & hinc ad alios refluendo , globulos secundi elementi & Planetam inter ipsos libratum diversis modis potest commovere .

649. Qvemadmodum ventus & aqua fluminis variis modis impellit , & navem secundo flumine descendenter in transversum agit .

650. Eadem primi elementi materia , tum subtilior , tum minus subtilis , quatenus per meatus Planetæ currit , versus has potius , qvam illas Cœli partes Planetam dirigit .

651. Sicuti ventus navem huc potius qvam illuc flectit , prout velorum poros vel alia etiam navis foramina magis aut minus penetrat .

652. Præterea observandum , posse motum in prima mundi origine Planetæ impressum , etiamnum in eo perseverare .

653. Utī turbo semel à puerō intortus per aliquot horæ minuta sapissimè gyrandio

do motum continuat , qvamvis & aër circumiacens & terra , cui insitit , ejus motui aduersentur .

654. Nam brevius est tempus 6000. annorum , si cum Planetæ alicujus magnitudine comparetur , qvam horæ minutum , cum exigui turbinis mole collatum .

655. Adde denique , qvod vis ita perseverandi in suo motu sit firmior & constanter in Planeta , qvam in materia cœlesti ambiente : qvandoqvidem ejus globuli , corpus fluidum constituentes , non ita in eundem motum simul conspirant , ut faciunt particulæ tertii elementi , Planetam , qvi corpus durum est , componentes .

656. Ideo mutationibus , qvæ accidunt motui globulorum cœlestium , minus obnoxius est Planeta , præsertim si magnus & solidus fuerit . §. 602.

CAPUT. XX.

De Sole , Luna , & Terra specia- lius considerata .

657. Inter corpora lucida & opaca , de qvibus egimus , magis ad nos spectant Sol

Sol & Luna (qvæ luminaria magna Gen. 1, 16. dicuntur) maximè verò Terra, qvam nobis inhabitandam Creator dedit.

658. Qvamobrem operæ pretium erit, ut examinemus, qvænam in tribus hisce corporibus, ob modo demonstratam situs in Planetis variationem, mutatio continet.

659. Nempe qvoties inter Solem & Terram opacum Lunæ corpus interponitur, existit *eclipsis Solis* qvæ vocatur;

660. Verius autem eclipsis seu defectus luminis in Terra diceretur: qvia Sol propter illam Lunæ inter positam luce sua non privatur, licet ad nos terricos direcē radios suos tunc projicere nequeat.

661. Si. Terra inter Solem & Lunam intenjaceat, *eclipsis Luna oritur*. Nam Luna in umbram Terræ incidens lumine, qvod à Sole accipit, privatur.

662. Qvamcunq; Terræ partem Sol incipit illuminare, in ea dicitur *oriri*.

663. Qvam illuminare definit, in ea dicitur *occidere*.

664. Cumq; nulla sit pars Terræ, in qvā tali modo non aliquando oriri, ali-

loq
qvam-

qvando occidere queat, dicere liceat, Sol em ubique posse oriri ubique occidere, vel nulla certa ortus aut occasus puncta inveniri.

665. Et *dies* quidem est in illa parte Terræ, qvæ Soli obversa radios ejus excipit.

666. *Nox* in ea, qvæ à Sole aversa radios ejus immedieat excipere nequit.

667. Et qvæ Telluris pars Solis radios directiores, in se magis reflexos: & proinde vehementiores & calidiores habet, in ea *Eclipsi*.

668. Qvæ autem obliquiores, magis diffilientes ac proinde minus agitatos & frigidiores habet, in ea *Hems*.

669. Oriuntur autem diei ac noctis differentiae à particuliari conversione vorticis Terræ circa proprium centrum. Qvem motum vortex ille, non amisit, qvamvis à potentiore Solis vortice absorptus fuit.

670. Hæc est *conversio diurna*, qvæ distinguitur ab *annua*, qvâ vortex Terræ cum aliis Planetis circa solem defertur.

671. Sinon ita deferretur, necessum fo-

ret

foret ut recederet ac separaretur simul & semel à toto Cœlo ambiente: qvo ipso re vera moveretur, sicuti respectu loci proprii, movetur is qvi aduerso flumine natat, licet manere dicatur in eodem loco intellige remoto.

672. Ita qvi immotus in angulo navis jacet, ab ipsa defertur ex Anglia in Gal liam, atqve interim proprie loquendo quiescit; moveretur, si in nave obambularet, hoc est, ab alia navis parte ad aliam accederet.

673. Qvomodo verò Terræ vortex si mul proprium quotidie gyrum facere, si mul anno integre communem circa Solem circum peragrare possit, facile intelligi m9 exemplo vorticis aquæ majoris, in qvo aliqua ndominor vortex cernitur. Sic potest turbo insistens palmae circa proprium centrum converti interimque a me circa arborrem, ut commune centrum, deferri.

674. Insuper, qvia Sol oriens vel occidens propinquior Terræ, sed remotior à nobis esse videtur, qvam cum est in Cœli medio, (qvod medium ita vocatur, qvia Cœlum instar fornicis concipimus, cuius extre-

extremitates ibi sint, ubi & fines Terræ es se ab infantia judicavimus) ideo etiam Sol oriens vel occidens major esse putatur, qvam meridianus.

675. Qvia magnitudinem corporis estimamus è distantia, hanc vero per comparationem cum aliis corporibus intermedii cognoscimus.

676. Cujusmodi corpora ab horizonte usqve ad oculos nostros varia in terris occurunt, non item in Cœlis inter meridianum Solem & nos.

677. (Ipsum qvippe Cœlum & Aërem ab inuite extate non habuimus pro corpore, cum visibilis aliqua materia massa, lucida vel opaca non sit.)

678. Adhac cum Sol multo sit major Lunâ (Secusenim Luna à Terra primùm, deinde cum Terra à Sole absorpta non es set.) Et Sphæra major semper majorem sphæræ minoris partem irradiet, plus semper dimidia Lunæ parte illuminatur.

679. At nunquam tota (directè à Sole) illuminatur.

680. Et nunquam minus illuminatur, quam plena cum dicitur. Nunquam magis qvam cum nova vocatur.

681. Qvando enim plena est, una solū ejus facies nobis, obversa lumine Solis illustratur, altera densissimis involvitur tenebris.

682. At qvando nova est, tota Luna illustrata est, secundū partem notis obversam à Terra, secundū partem aversam à Sole.

683. Itaqve Luna non à Sole tantum immediate illustratur, verum etiam à Terra, radios Solis ad ipsam reflectente.

684. Cum Terra major sit Luna §. 678. plus luminis ab ea ad Lunam, qvam contraria à Luna ad Terram reflectur. §. 678. post parenth.

685. Deniqve Lunam pariter ac Terram non disci, sed globi habere figuram, & qvomodo nascendo eam acceperint, constat è superioribus.

686. Liqvet etiam inde, qvod sua ipsius luce non fulgeat Luna, uti nec Terra.

687. Et qvemadmodum Terra non est Mathematice rotunda: Ita qvoqve in Luna inæqualitates ad instar montium & valium observantur, ea nimurum superficie parte, qva semper Tellurem respicit.

688. Qvæque non solū lumen directè à Sole missum excipit, sed etiam illud, qvod à Terra reflectitur. § 682.

689. Unde hæc Lunæ facies lumine magis agitata & rarefacta minùs solida est alterā, qvæ nunquam in conspectum nostrum venit, atqve Terram circumēundo majorem ambitum percurrit.

690. Nec ratio dari potest, cur oporteat credere, ullum in mundo existere corpus magnum, globosum ac durum, Cometam intellige vel Planetam, qvod prorsus aqvale sit in sua superficie.

691. Potius in contrarium ratio datur, petita ab analogia Telluris, ac generatio-
nis illius, qva terrestria corpora producta esse docebimus in seqventibus.



CAPUT XXI.

De origine Terræ gene-
rali.

692. **N**isi plura de hoc Mundi corpore qvam de alio cognoscenda no-
bis

bis essent, possemus in superioribus quodammodo subsistere, & compendio hujus Physicæ contemplationis hic nem facere.

693. At qvoniā Terram non eminuti reliqua, sed cominus intuemur, magnam rerum varietatem plurimorum que corporum distinctionem in ea observamus, varietatis illius ac distinctionis originem & causas investigare cùm p se jucundum, cùm ad vitam utile erit,

694. Generalem autem Terræ originem non aliam atque Planetæ alicujus, superioribus principiis Physicis assignari liceat.

695. Nempe ut ponamus, eam initio è materia primi elementi sola conflatam Sole tamen minorem fuisse,

696. Et peculiarem circa se vorticem satis magnum habuisse, cuius in centro consistebat.

697. At minus subtilibus illius materiæ primi elementi minutis cohærentibus, atque ita in materiam tertii elementi conversis, maculas opacas in ejus superficie genitas esse,

698

698. Ex qvarum continua dissoluzione remanentes tertii elementi particulae per Cœlum vicinum diffusa magnam ibi molem ætheris progressu temporis compoſuerunt.

699. Et postquam iste æther auctus admodum fuit, densiores maculas circa Terram genitas eam totam contexisse atque obtenebrasse.

700. Qvæ cùm amplius dissolvi non possent, ac forte permulta sibi mutuo in cumberent, simulque vis vorticis Terram continentis minueretur, tandem ipsam Terram unâ cum maculis & toto, quo involvebatur, aëre in maiorem Solis vorticism delapsam, ad eum locum in quo nunc versatur.

701. Hac Terræ generatione posita tres ejus regiones distingvuntur.

702. Qvarum intima ignem potius impurum purum, terra videtur continere.

703. Impurum dico ignem, quoniam instar solaris ignis per maculas non expurgatur.

704. Ignis autem ille cùm in Terra non aliter ac in Sole moveatur, diurnam

F 2

illius

illius cum vortice suo conversionem promovet §. 669.

705. Ac nisi talem in Terra cavitatem igneam esse statuamus, unde tantorum ignium subterraneorum originem arcessimus.

706. Et quomodo non remotiorem a Sole locum Terra occupasset, si tali cavitate destituta tota solida esset.

707. Medium Terræ regionem valde opacam & densam esse, nullos ut meatus, nisi materiæ primi elementi pervios, habeat, ipsius ex particulis minutissimis compositio docet.

708. Sed istæ duæ interiores Terræ regiones parum ad nos spectant, quia nemo ad eas vivus unquam accessit.

709. Supereft tertio regio ex crassioribus & incertas figuræ habentibus tertii elementi particulis, quippe è macularum dissolutione ortis, coagmentata.

710. Ex hac omnia, quæ circa nos periuntur corpora, vario contritionis, separationis & conjunctionis motu ori possit, deinceps ostendemus.

711. Et quidem vi atque efficacia materiae cœlestis, hoc est, primi & secundi elementi, quæ particulas tertii elementi minus firmiter connexas, ex quibus exterior Terra constat, fluminis in modum pervadit.

712. Materia namque Terrestris, ex tertii elementi particulis composita, per se otiosa existit.

CAPUT. XXII.

De Actionibus materiæ cœlestis in terrestrem: ubi de pelluciditate, gravitate, calore &c. et iam agitur.

713. ET primò quidem hoc loco motu globulorum cœlestium generaliter considerandus est.

714. Illi enim, præterquam quod Terram, quam partim ambiant, partim per vadunt, junctim deferunt, in orbem communem motu progredientes.

715. Separatim etiam propriis & variis motibus quaque versus feruntur.

716. Qvalecunqve verò motus illius initium fuerit, globuli quantum possunt eum continuant secundum lineam rettam.

717. Atqve ita pellucida reddunt corpora liqvida, dummodo & pura fuerint, & particulis tertii elementi tenuibus constent.

718. Nam facile per ejusmodi corpora assidue motu sibi in omnes partes vias parant, uti currus per arenam, lutum aut nivem nullo negotio huc illuc trahuntur.

719. Et, si concrecant ista liqvida, eundem partium retinendo situm, quemad globulis accepere cœlestibus, diaphanant, sicuti currus movetur per orbitas innive indurata aut luto exsiccatore licitas.

720. Exemplo sit aqua, qvæ pellucere conglaciata pergit.

721. Igitur pellucida terrestria lumini transitum non præbent ubique, uti Cœlum putum facit; sed respectu solidæ, qva constant, substantiæ partem sui lumenis reflectunt.

722

722. Hinc pulvis vitri non pellucet: diversa sibi invicem imposita vitra, cum pori hujus poris illius non ubique respondent, minus perspicua sunt: denique vitrum omne projicit umbram.

723. Nec radii per vitrum aliudve instrumentum congregari & arctius jungi possent, nisi ex poris quodammodo distantibus venirent.

724. Si globuli cœlestes impuros liquores offendant, veluti mustum aut cervisiam recentem, eos expurgant,

725. Segregatis partibus heterogeneis & congregatis homogeneis.

726. Inde homogeneum eum vocamus liquorem, cuius particulae etiam si vel maximè dissimiles, ita sunt permixtæ & ordinatæ, ut alia non magis quam alia globulorum cœlestium motibus obseruant, & qualibet guttula aliis omnibus prorsus similis existat, quemadmodum in vino puro & claro, etiam absinthite appareat.

727. Præterea qvia pori aquæ poris aëris non respondent, cum particulæ aquæ proprius quam aëris junctæ sunt, (similis-

milisqve sit ratio liqvoris cujuslibet respectu alterius diversi)

728. Globuli cœlestes guttam faciunt rotundam, partes ejus versus centrum à qualiter premendo.

729. Sic enim à motu suo recto qvaversus continuando, minus impediuntur.

730. Eodemqve modo globuli cœlestes totius Terræ objecta (neqve enim omnes hanc ingredi & pervadere possunt) ne secundum lineas rectas ferantur impediti, cunctas ejus partes versus medium propellunt.

731. In qvō gravitas corporum terrestrium consistit.

732. Nam ut fumus libere ascendere nequit per caminum, qvoties aëris in locum ab eo relatum successio impeditur.

733. Ita materia cœlestis partes (qvō nomine in præsentia non modò primi & secundi elementi materiam, sed etiam ormne illud qvod cursum ejus celeriore seqvitur, intelliges) nisi partes terrestres in

in earum locum descendant, à Terra ascendere nequeunt.

734. Non possunt autem à Terra non ascendere, si qvidem eam ingredi nequeant, qvia natura sua indesinenter agitantur.

735. Ista vis gravitatis nisi obstat, lapis sursum projectus moveretur usque in cœlum, & qvoties corpus nostrum saltando tollitur in altum, pergeremus ascendere, nec descenderemus.

736. Qvi gravitatem corporibus terrestribus innatam qualitatem esse putant, qva ferantur ad terram vel eam appetant,

737. Item, qvi guttam fieri globulam existimant, ut ab aëre aliove contrario se tueatur; Illirebus mere corporeis intellectum & voluntatem affingunt, aut certe tertio elemento ea tribuunt, qvæ sunt primi & secundi §. 711.

738. Deniqve cœlestia luminis intervenitu calorem in terrestribus producunt, id est, pressio globulorum licet secundum lineas rectas, à Sole in Terram extensas, propagetur.

739. Non tamen æqvaliter particulis tertii elementi applicatur, ob harum intervalla & figuræ inordinatas, aut etiam majorem minoremve à superficie illa extima, ad qvam radii primū appellunt distantiam.

740. Unde varia in terrestribus agitatio, qvam Coloris vocabulo in iis designare licet.

741. Præsertim, cùm est major solito ac sensum tactus afficit.

742. Neqve mirabimur, qvomodo à motu recto dependeat motus varius, cum globos à via recta deturbatos multos s̄pē gyros facere videamus.

743. Atqve ita sublato lumine, id est pressione globorum cœlestium rectilinea, calor, id est agitatio terrestrium particularum varia, perseverare potest, & solet.

744. Et qvamvis lumen in opaca superficie subsistat, calor tamen ad profundiora Terræ penetrat.

745. Qvemadmodum intercedente pīleo satis alto caput qvidem à radiis solis non illuminatur, attamen calefit, & calidum

dum manet etiam cùm Solis radiis non amplius exponitur.

746. Vario illo partium motu corpora plerumqve rarefiunt, ut aqua dum in vapores resolvitur.

747. Qvandoqve tamen condensantur, ut nix aëre calidiore subsidit & facile comprimitur.

CAPUT XXIII.

De Particulis Terræ, Aëris & Aquæ distinctione.

748. Nam si exteriorem Terram ut chaos concipiamus, in qvō confusa initio fuerint ea, quæ nunc Terræ, Aëris, Aquæ, &c. nominibus discernimus, qvomodo hæc motu cœlestis materia sic dicta fuerint, è superioribus colligere licet.

749. Nam globuli cœlestes exteriorem Terram, cujus partes sibi qvidem incumbunt, non tamen firmiter coha-

rent, §. 711. pervadentes, qvæ minores sunt, quam illi globuli, per qvos Terra in Solis vorticem delabens transit vel ad qvos delapsa venit.

750. Cum illi Terrâ propinquiores, hi à Sole remotiores existant.

751. Minores loca, qvæ ad mensuram suæ magnitudinis percurrendo accomo- daverant, cedere coguntur majoribus.

752. In qvæ loca angustiora cum im- petu dum ruunt globuli majores, in mul- tes tertii elementi particulas simul impin- gunt, præsertim in crassiores.

753. Easqve infra cæteras tenuiores, qvas disjunctas facile movere possunt, detrudunt & compingunt, adjuvante vi gravitatis.

754. Atqve ita superius aliquod cor- pus, intellige rudimentum Aëris, rarum, fluidum & pellucidum, a corpore qua- dam inferiore, intelligerudimentum Ter- re inferioris, magis denso, duro & opaco dividi cœpit.

755. Sed reliquorum distinctionem ac productionem ut eò promptius invenia- mus, particulas tertii Elementi sive ter- restres

restres ratione figurarum, qvæ varie sunt, quamvis omnes angulatae, in tria præci- pua genera distribuimus.

756. Nam aliae sunt in varia quasi bra- chia divisæ, atqve hinc inde expansæ, tan- quam rami arborum.

757. Aliæ sunt solidiores & quadante- nus rotundæ, velut fragmenta lapidum angulosæ.

758. Aliæ oblongæ ac ramis destitutaæ, instar bacillorum.

759. Cum autem ramosæ terræ parti- culæ primùm sibi mutuò cœperunt im- plicari, utpote qvæ prius & facilius reli- quis angulosis & oblongis cohærere po- tuerunt.

760. Pleraqve ex oblongis & angulo- sis (exceptis majusculis, quæ statim in- fra cæteras vi gravitatis descenderunt) ipsi fuerunt interjectæ.

761. At ramosis paulatim magis pres- sis arctiusqve juncis oblongæ supra eas facilius ascenderunt angulosis.

762. Et ibi corpus aliquod composue- re a prioribus duobus, valde diversum,

qvod aliud esse non potest quam *Aqua*
rudimentum.

763. Nam simili ratione in locis paludosis ex terra calcata videmus exprimi aquam, qvæ postea ejus superficiem tegit.

764. Nempe particulæ istæ oblongæ transversim supra terram jacentes, non tam facile rursus descenderunt, qvam angulosæ solidiores.

765. Omnibusqve illis commune fuit, qvod nec sibi mutuò, nec aliis tertii elementi particulis facile adhærerent, & à materia cœlesti assidue ipsas circumfluentes moverentur.

766. Unde variis motibus citarum aliæ in aliarum loca transmigravunt, ideoque paulatim teretes ac leves omnes evaserunt.

767. Sicutamen ut eorum alia tenuiores à materia cœlesti electi possent, alii paulò crassiores non item: ut bacilli molles alii sunt, alii duri.

768. Quemadmodum verò mustum non repente totum simul in vinum omnino clarum vertitur, sed gradatim, ita ut pri-

primum crassissimæ particulæ ad fundum detrudantur, tūm minus crassæ, &c. & fæx vini partim mollior, initio præser-tim, existit, partim lapidis aut crustæ instar tandem concrescit.

769. Sic ex Aëre nec dum satis purificato (qvamvis crassissimæ & maximè ponderosæ jam essent delapsæ) plures paulatim (delapsæ particulæ, pro minori majo-rive soliditate sua, molem aquæ §. 743. & terræ §. 745. auxerunt.

770. Qvarum particularum nonnullæ minus solidæ & ramosæ in aquæ superficie hæserunt (unde initium *Terre superioris*) & ibi paulatim sibi mutuò annexæ crustæ vel corticis instar, aquam con-tekerant, ut nunc alicubi sit in paludibus,

771. Imò crustarum ejusmodi aquæ innantium exempla habemus in insulis natantibus, ut in Transylvania propè Tordam ad salium fodinam, atqve in multis Hollandiæ locis, ubi cespites bituminosi effodiuntur.

772. Atcrusta illa progressu temporis crassior evasit, novis ex aëre vel etiam ex aqua particulis ei se adjungentibus.

773. Nam Sol tempore diei & aestatis alteram aquæ medietatem, qua terram ubique tectam intelligimus, dilatans & rarefaciens, multas ejus partes per crusta illius porosum sursum evexit

774. Quæ tempore noctis & hiemis cessante rarefactione, vi gravitatis rursus descenderunt.

775. Ut ros & pruina noctu in superficiem terræ relabuntur.

776. Qvoniam verò partes istæ, per crustam impetu caloris majore egressæ, in aquam omnes reverti non potuerunt, cum vis gravitatis in iis minor sit.

777. Crustam auxerunt, poris ejus descendendo (qvod aliquibus etiam ascendentibus contigit) impeditæ,

778. Ut aqua quotidie in plantarum & lingnorum poros impingitur, atque ita qvidem ipsa crusta densior & durior redita est,

779. Spatium verò inter aquam mole imminutam & crustam intercedens Aëre impletum fuit, quem subterraneum dicimus.

780. Et crusta seu terra hæc superior, ut potestate dura & cohærens, fornicijs in star supra aërem

rem illum & aquam, quæ similiter omnis nunc infra terram superiorem existit, aliquamdiu suspensa mansit.

781. Quandoquidem autem progressu temporis multæ magnaqvæ fissuræ in ea ortæ sunt, §. 764. Calore meatus alios diudcente, alios contrahente, eadem planè ratione, quæ aestate in terra pingvi & lutosa rimæ aperiuntur, dum à Sole exsiccatur, & quidem eo majores, quo siccitas diutius perseverat.

782. Tandem superior ista terra tota contracta, vi gravitatis in Terram, quæ sub Aquâ est, decidit.

783. Cumqve terræ hujus inferioris superficies ad omnia illius superioris fragmenta, sibi mutuo adjacentia, & situm quem prius habuerant servantia, capienda non satis lata foret, quædam ex ipsis inclinata sunt, aliaqve in alia recuperare.

784. Et aqua sub aliis quidem terræ superioris fragmentis mansit, at supra alia ascendit.

785. Hinc in terra extiterunt alibi maria magis minusve profunda, alibi campo-

rum

rum planities, alibi montes, saxa, scopuli, &c. adeo ut perfectè sphærica tellus else non potuerit.

786. Num verò descriptus hactenus atqve ad Terram solam accommodatus generationis, modus etiam ad Planetas, in primis ad Jovem (qui haud secus ac Terra motu vorticis sui diurno circa axem suū convertitur dierumqve proinde & noctium vicissitudinem habet, æque applicari debet, id aliis considerandum hic relinquo.



CAPUT XXVI.

De Aëre, Vapore, Vento, Nube,
Nebula, Colore, Sono,
Odore.

787. **E**ditis intelligitur, Aërem esse congeriem particularum tertii elementi adeò tenuum & à se mutuò disjunctorum, (nisi enim disjunctæ essent, exteriori Terræ crustæ jam dudum adhæsissent §. 760.) ut motibus qvibuslibet globu-

globulorum cœlestium, qvorum ingens in aëre copia, obseqvatur (alias enim depresso fuissent.)

788. Atqve è minutissimis cujuslibet figura posse componi,

789. Qvanquam ramos ad aërem componendum aptissimæ, i cum levissimæ sint & in materia cœlesti plumularum instar volare possint.

790. Distinguimus tamen inter nativam & primitivam aëris substantiam, qvæ à principio mundi exstitit, estqve tenuissima & purissima.

791. Et adventitiam, qvæ ex effluviis aliorum corporum variis & alio atqve alio loco vel tempore aliis constat.

792. Hinc aët *purus* censetur primò ab solutè, cum effluvia illa tam crassa non sint, ut facile sibi mutuo adhærent & formam aëris deponant, §. 778.

793. Deinde respectu nostri, cum eiusmodi effluvia corpus nostrum non lædant, ut faciunt contagiosis morbis gravantibus.

794. Aër differt ab Igne, qvatenus utrumqve corpus terrestre est, primò in eo,

eo, qvod hujus particulæ multo celerius agitantur, qvam illius.

795. Qvandoqvidem hæ motum materiæ primi elementi seqvuntur, illæ secundi.

796. Deinde differunt in eo, qvod Ignis apud nos esse non potest sine crassifusculis corporum terrestrium particulis, qvibus alitur & renovatur.

797. Aër contra eò purior, hoc est, magis pellucidus, rarus & fluidus existit, & corruptioni, id est, particularum suarum connexioni & in maiores massulas coitioni, minus obnoxius,

798. Qvo tenuioribus ac mollioribus tertii elementi particulis constat. S. 789.

799 Crassiores enim, nisi calore continuo agitentur, pondere suo deorsum labentes, formam aëris exuunt.

800. Hinc aër ignibus accensis, quibus crassiores partes comburuntur, purgari solet.

801. Proinde aër purior in Gallia & Germania superiore, qvam Belgio invenitur.

802.

802. Hic enim, qvando ex humidore solo ascendens ei miscetur vapor, sæpe calore minus agitatus, vasa deorsum labendo & adhærendo inficit.

803. Omnis interim aër corpus est mixtum è variis cœlestibus ac terrestribus corpusculis, cum ad ejus compositionem omnis generis particulæ satis tenues concurrere possint (Tantum abest ut sit corpus simplex.)

804. Qvæ cùm in vario semper motu sint, §. 768. post parenth. adeoque corpus fluidum efficiant.

805. Aër perpetuò est calidus, si non respectu ad sensum habito, saltem absolute.

806. Tantò autem calidior, qvantò major est ejus agitatio varia.

807. Ut, ecce, noctes autumnales calidiores, ob impressos terrestribus particulis æstate præcedentes motus.

808. Vernæ frigidiores, qvod hiemale frigus motum in iisdem partibus retardarit.

809. Absolutum enim frigus, id est, exiguum corporis corporum omnimoda quies, in aëre non invenitur.

810.

810. Pro differentia caloris & frigoris non modò annum in æstatem & hiemem antiquissimi mortalium distinxere,

811. Verum etiam aërem in tres regiones multi philosophi diviserunt.

812. Qvarum prima eò usque se exten-
dit, qvousque radii à terra reflexi calorem
sensibili modo augent.

813. Media est, ubi vapores è terra edu-
cti rursus concrescunt.

814. Suprema est, qvæ inde ad cœlum
porrigitur.

815. Præterea ex caloris & frigoris, pro-
annit tempore, diversitate liqvet, cur ha-
litus oris & sudor calantium eqvorum
magis hieme qvām æstate conspicia-
tur.

816. Item, cur plures in aëre sint va-
pores æstate, cum nimis calore attenuati-
non videntur; qvam hieme, qvando pro-
pter crassitiem videntur maxime (qvo-
pso præjudicata illa infantiae opinio re-
fellitur).

817. Utique enim Sol æstivis diebus plu-
res è locis humidis vapores elevat, qvām
hibernis, qvoniam aquas subsidere magis

ac decrescere tunc temporis experi-
munt.

818. Attenuati autem vapores, qvia
celerem globorum cœlestium motum
una cum aliis aeris particulis seqvuntur,
adeo transparent, ut à reliquo aëte visi dis-
cerni nequeant. Contrarium iis accidit,
qvi specie densi & obscuri fumi crasse-
scunt.

819. Attamen vapores illi valde rari, à
Sole aliisve stellis illuminati, cœruleum
in aëre colorem producunt, qvi cœlo se-
reno appetit & vulgo cœlo stellato perpe-
ram adscribirur.

820. Vapores moti ventum in aere fa-
ciunt, cujus generatio bene explicatur
exemplo ejus, qvem in AEolipylis aqua
in vaporem resoluta excitat.

821. Qvamvis generaliter qvoqve ven-
tus dicatur omnis aeris in unam partem
agitatio, qvæ tactu percipitur.

822. Sic aere tranquillo placidi qui-
dam venti majorum fluminum cursum
seqvuntur.

823. Et sæpe venti juxta maris littora
cum ejus fluxu & refluxu mutantur.

824. Dum aer aquæ proximus ejus motum quodammodo sequitur.

825. Vapores ex aqua ascendentis humidiiores & crassiores sunt iis qui ex terra: cum sicciores ac tenuiores, veluti aeris, huic sint junctæ particulae.

826. Unde eadem tempestates gra- vius in mari quam in terra sequuntur.

827. Similiter molæ ventosæ aëstro vento difficilius aguntur, quam aequali hiberno: quo tempore crassiores aeris par- tes sunt immixtæ. Hanc etiam inter alias causam esse dixeris, cur ignis hieme lu- culentius ardeat, quod aer tunc crassior existens fortius inflare valeat.

828. Plures vapores è mari tempore diurno, è terra nocturno plerumque a- scendunt. Nam tellus quidem calorem sibi impressum diutius retinet: at mare plus materiae vaporibus suppeditat.

829. Hinc sepius in litoribus venti in terdiu à mari, noctu à terra spirant.

830. Porro qua ratione efficiat calor, ut vapores, absque ulla ad ascendendum singulari inclinatione aut vi Solis attra- hente, in sublime tollantur, præsertim

cum

cum terræ homisphærium simul ab innumeris Solis radiis in tegro die pre- mitur.

831. Cumque in liquidis corporibus, qua igni admota in vapores ascen- dent, ignis vim nulla attrahendi, sed pellendi tantum animadvertamus; occur cœlestibus ignibus aliud affin- gimus?

832. Effectus ventorum sunt, ae- rem calore, frigore, siccitate, humi- ditate & varie temperare.

833. Corruptionem aeris impedire, quemadmodum & aqua agitata minus corruptitur.

834. Nubes è mari elevatas ad ter- iam propellere, sicuti etiam paleas, folia & alia secum rapit.

835. Molitoribus & nautis ad ope- ra sua inservire.

836. Sicuti autem vapores dilatati ventos, ita coacti nebulas & nubes efficiunt.

837. Quemadmodum enim notabi- li modo aere puro manus pelluent,

G

si ad

si ad terram descendant, *Nebulae*; Si
maneant in aere suspenſi, *Nubes* appellan-
tur.

838. Lumen enim per aquam to-
tam singulasque ejus guttas transiens
non ita transit per nebulam & nubem,
quæ tamen ex aqua rarefacta & guttais
constant, ideoq; poros habent majores.

839. Qvia licet aquæ guttae sint
pellucidæ, tamen cum singulæ earum
superficies aliquot radios reflectant, fa-
cile tam numerosæ ibi superficies oc-
curiunt, ut radios omnes aut propemo-
dum omnes alio reflectant.

840. Et eadem prorsus ratio est,
cur vitrum, crystallus, glacies, in
particulas comminuta pellucida esse
desinant.

841. Hoc itaque modo aeris vapo-
ribus infectæ particulae globulis co-
lestibus resistunt, quibus alias facile
cedunt; similiterque aer quamvis
prompte tactui cedat, ut potè audi-
sus, flabello tamen percussus non-
nihil resistit, quoniam flabellum ce-
terius

terius agitatur, quam illa congeries
aeris, quam attingit.

842. Et vesicæ inclusus valde reſi-
ſit, qvia non habet quo cedat.

843. Ex jam dictis corrigenda in-
fantia nostræ de aere, ut *spacio vacuo*,
cogitatio.

844. Non enim potest esse nihil vel
non corpus, in quo totuplex motus,
aliqvando & qviēs, non modò intel-
ligitur, verum etiam sentitur.

845. Nempe *tactus* in aere percipit.
1. Varium ejus particularum motum,
qui acceleratus *calor*, imminutus *fri-
guis* appellatur. 2. Motum totius in u-
nam partem, qui *Ventus* dicitur. 3. Re-
ſistentiam & quasi *duriorem* quandam.

846. *Vetus* percipit 1. globulorum
celestium, qui magna copia in aere
sunt, pressionem secundum lineam
rectam, id est, *lumen*. 2. Varios illius
pressionis à terrestribus corporibus re-
ceptæ aut repercussæ modos, id est co-
lores. §. 810.

847. Colorum vero naturam & ori-
ginem

gine ut percipiamus, cogitatndum est globulos cœlestes, qvi luminis sunt subjectum, variis modis à terrestribus corporibus reflecti, aliquando etiam non reflecti. Hæc enim generalis est eorum conditio. Exemplum cernitur in pila, prout in durum aut molle, asperum aut leve, liquidum aut fixum corpus incidit.

848. Et qvia pressionem luminis cum pressione baculi contulimus, observandum est, qvod in tenebris ambulantes intermedio baculo sentire aut dignoscere soleamus, lapidem, arenam, aquam, herbam, lutum, et aliud qvid contingamus: nempe propter varietatem qvæ est in superficie corporis, qvod baculo tangitur.

849. Cumqve effectus ejusmodi in tactu, omnium sensuum infimo, cuius perceptiones minus distinctæ sunt, deprehendatur; qvidni credamus multò facilius in sensuum præstantissimo Visu, qvi plurimas rerum differentias nobis manifestat, subtilis ma-

teriz coelestis interventū, simile quid locum invenire? Adeo ut propter varietatem illam, qvæ accedit lumini, ob diversitatem superficie, in quam incidit, colorum sensus in nobis oritur.

850. Considera qvomodo pomum dissectum primo album, tum flavum, postea sæpe nigrum appareat, prout superficies ejus paulatim aliter atqve aliter disponitur & magis exsiccatur.

851. Etenim qvando Visus ipsam pressionem sentit, cur non & varietatem, qvæ in ea est, sentiat? cur minus ab illa afficiatur, qvam tactus ab ea, qvæ cum pressione baculi conjuncta est?

852. Utqve specialia qvædam attingamus, cogita dari corpora alia, qvæ dum luminis radiis percutiuntur, eosdem suffocant & omne illorum robur frangunt (ut pilæ in lanam incidentis motus sistitur, qvæ nigra appellamus.

853. Dari alia qvæ reverberant, & quidem vel eodem, quo recipiunt, ordine, veluti specula nitidè polita; vel confusè huc & illuc. Rursus alia ex his radios repercutere actione luminis haud qvaquam immutata, ut *alba*; alia mutationem: inducere, ut *rubra, flava, cernuea*.

854. *Anditus* in aere percipit tremulum & vibratum ejus motum, qui *Sonus* dicitur.

855. Et ille quidem sic producitur à causa sonante, veluti campana, lingua &c. in aere, ut circuli à lapide vel gutta incidente formantur in aqua, quando pars aquæ impulsa impellit aliam, hæc porrò sequentem,

856. Et differt à vento, sicuti cursus fluvii ab ipsis circulis, id est, ut motus rectus in unam partem, à motu circulari in omnes partes flexo, vel quo corpus ultra citroque impellitur: id enim est tremere.

857. Overmadmodum tamen hi circuli magis protenduntur versus eam

pag-

partem, qvæ flumen progreditur: ita & ventus desert sonum versus eam partem, qvæ aerem impellit.

858. Imò quoties ipsi vento tremulus & vibratus motus accedit, veluti cum in parietes & arbores irruit, sonus ejus auditur. Qvod fit ubi à reta via impeditus circulum qvendam facere cogitur, eundo ac redeundo, eodem modo quo aqua in recto progressu deturbata vorticem facit, & præfertim in angustis angulis, ubi motus acceleratur.

859. Ac sicuti plures circuli in eadem aquæ portione simul esse possunt, ita etiam plures in aere soni, licet utrobiqve circuli sint minus distincti. Et quemadmodum circuli non in momento, sed progressu temporis post immissum lapidem in aqua propagantur; ita sonus in aëre vicinis partibus communicatur, postqvam ille percuti & vibrari cœpit.

860. Denique olfactus percipit in acre volantes particulas terrestres sub-

tiles ac vividas, qvi sensus odorum vocatur. Huc pertinent effluvia tenuia rosarum, exrementorum, transpiratio corporis humani, leporini &c.



CAPUT XVIII.

De Aqva, Glacie, levi liquorum superficie, aquæ perspicuitate & sono, Spuma, Bulla.

861. **A**qua omnis quamvis non ad sensum, absolute tamen est calida: quoniam 1. fluida est. 2. refrigerari potest.

862. Quoties autem calidior solito est, ab igne remota ad pristinum frigus redit, quatenus motum particularum suarum varium aëri aliisque corporibus ambientibus communiceat.

863. Sed intensiore frigore conge-

lata

lata. *Glacies* nuncupatur, dum partibus juxta se mutuo qviescentibus fluida esse desinit, secus ac aër. Dico, juxta se mutuo, qvia sola qvies, qvæ hic frigus est, non sufficit ad corpus durum efficiendum nisi partes etiam se contingant.

864. Et quoniam ista congelatio non accidit, nisi materia celestis, qvæ partes æquè interlabitur, solito subtilior existat; Inde fit, ut pori glaciei ad mensuram istius materiæ particularum arctati, paulò majores profus excludant.

865. Hinc glacies frigidissima manet, licet in ætitatem reservetur, semperque duritiem suam retinet: nec paulatim instar ceræ mollescit, quoniam propter meatum angustiam calor ad interiora non penetrat, nisi quatenus exteriora liqvescunt.

866. Adhæc inter tenuitatem & crassitudinem particularum aëris & aquæ, item inter istas particulas & vim, qva globuli secundi elementi eas movent.

G s talis

calis est proportio, ut vis eodem loco & tempore sufficiens ad aquam in glaciem vertendam, sufficiat etiam ad particulas aeris seu vapores mutandos in aquam.

867. Utrumque per cum globuli isti paulò minus solito agunt, ut hieme ex gr. quo tempore halitus oris nostri in aquam vertitur, aqua illa prolixioribus barbis adhærens in glaciemabit.

868. At cum paulo fortius agunt globuli, ut æstate, tenuiores aquæ particulas in aerem seu vapores mutant.

869. Vehementius à ventis dum agitatur aqua vel aér, Tempestas oritur.

870. Huic opponitur Tranquillitas, quæ in iis non est negatio motus omnis vel proprii, vel communis; Sed tantum alieni seu externi, præsertim vehementioris.

871. Aqua resistit manui, quoties hujus percussione celeritas major est in accedendo, quam illius percussione in recedendo.

872.

872. Resistit navibus, lignis, glaciei, aliisque ipsi innatantibus, quantum illis gravior & solidior est, dum vires omnium particularum aquæ simul conjunctæ, quod singulæ non possent, corporibus innatantibus opponuntur.

873. Sed alia corpora graviora ac solidiora ipsamque terram aqua infra se habet, secundum ea quæ diximus.

874. Utq; intelligas, quomodo aqua aëre, terra aquâ inferiorem locum, cœlesti materia premente nacta sit, cogita, simili de causa pennatam sagittæ partem, quia nempe minus est solidæ, aliâ superiore esse, cum per aërem descendit: quamvis initio contrarius sagittæ ascendentis partium situs fuerit, quamdiu particularis motus impressus universalem cœli pressionem superabat.

875. Patet è dictis, cur vesica aëre plena, nisi manu validius deprimitur, sub aqua existere nequeat. Sic bullæ undis supernant.

G 6

876.

876. Tametsi autem ventus debeat (respice §. 861. seq.) qvod & aqua persæpe aëris & contra aér aquæ motum sequatur: qui est communis utriusque, quatenus sola eorum corpora in unum consentiunt;

877. *Partes* tamen aquæ proprium sibi motum habent, quemadmodum & partes aeris.

878. Qui motus non consentiunt: secus enim aér & aqua non duo, sed unum corpus fluidum constituerent.

879. Dum igitur extremitatibus suis contigua aér & aqua secundum partes aliter atqve aliter moventur,

880. Aliterqve materia cœlestis partibus aëris circumfusa, aliter ea, quæ partes aquæ interfluit, agitatur,

881. Superficies aëris & aquæ poliuntur & lèvigantur, ut in attritu durorum corporum contingit.

882. Quæ lèvigatio in fluidis propter mobilitatem partium multo facilitior est & fere momentanea.

883.

883. Atqve ita aquæ (similis est a- liorum liqvorum ratio) superficies, valde lèvis, quam glacies retinet. Si vento flante crispetur aqua, etiam illam figuram custodit glacies.

884. Hinc aquæ superficies diffilius dividitur, quam ejus interio-

ra. Sic exigua acus chalybea transversim jacens, innata summa aquæ, quamdiu superficies ejus non divulsa.

886. At simul atqve ea divellitur, acus usqve ad fundum descendit.

887. Qvod autem bombardarum globi versus aquam dislosci eam aliquando non ingrediuntur; sed aerem versus reflectuntur, id fit, quia ipsi lèvem habentes superficiem, oblique in aquam lèvem, & qvidem celeriter impingunt.

888. Simile observatur in lapillis teretibus & politis, oblique in aquam missis, propter easdem causas concurrentes.

G 7

889.

889. Globuli vero cœlestes, cum sint numero plurimi & magnitudine valde exigui, licet sæpè etiam oblique in aquam incident, non tamen omnies ab aquæ superficie reflectuntur.

890. Sed plurimi poros ejus, qui sunt innumeri, ingrediuntur, & motu suo vario fluidum ibi corpus conservant.

890. Globuli tamen oblique aquam ingressi, ob diversitatem pororum, qui in aqua & aëre sunt. refringuntur.

892. Unde remus vel baculus partim in aqua, partim in aëre existens, fractus appetet.

893. Hac globulorum secundum rectas lineas impressione aqua fit clara & pellucida; dummodo aliorum corporum permissoне non inquinatur.

894. Cujusmodi tamen heterogeneorum commixtionem, saltem aliquam, etiam in aqua valde limpida inveniri, ex eo planum est, quod sedimentum aliquod terrenum sæpe relinquit,

qvæ, ob causam expressam, sicuti quoque tophi thermarum canalibus accrescunt.

895. Ne jam dicam de terra, qvæ in fundo vasorum cernitur, in qvo pluvia vel nivalis aqua resedit: qvæ crassiores exhalationes continent.

896. Qvamvis autem aqua lumen, hoc est, pressionis rectilineæ, respectu globulorum poros ejus assidue permeantium, non minus idoneum subjectum sit quam aer, vel magis etiam idoneum, qvia meatus habet subtiliores: qvo nomine radii facilius, quoque vitrum, quam ipsam aquam trahunt.

897. Nam quantò firmiores & solidiores exiguae partes corporis alicujus perspicui sunt, tanto faciliter, intuitu pororum, lumini transitum permettunt, licet ratione partium solidarum plurimis radiis aditum non praebant.

898. Minus tamen aptum subjectum est recipiendo sono, hoc est tremulo & vibrante

brato motui, qvoniā crassiores ac tardiores ejus partes sunt partibus aëris, ut ipsa horum corporum produc̄tio nos docuit.

899. Vibratio autem, qvæ sonum efficit, sine celeritate non est, cùm sonus non tam à quantitate subiecti mobilis, qvam à quantitate graduum ipsius motus pendeat. Nimirum aëris motus, qvatenus ventus dicitur, validior, qvatenus sonus, celerior.

900. Hinc venti, qvamvis multò latiorem aëris moveant regionem, qvam lingua canentis aut vociferantis, non tamen sonitum tantum cident. Et sensus docet, sonum in aere celerius qvam circulos in aqua propagari.

901. Cum igitur aqua soni sit minus capax qvam aer, manifestum est, cur vasā vacua, id est, aere plena multum tinniant, vino plena non item.

902. Similiter, cur ligna sicca ad suscipiendum sonum aptiora viridibus.

903. Ut enim vas vacuum se habet
ad

ad plenum: ita pori lignorum siccorum se habent ad poros viridium: qvorum illi magis aperti, hi obstructi sunt.

904. Hæc etiam causa est, cur hie me, dum aer vaporibus aquæ crassibus plenus, sonus tam longe non ex audiatur.

905. Qvemadmodum & per nivem ac pluviam obtusius auditur, quam per liberum ab ejusmodi crassis & humidis corporibus aerem.

906. Nec solum aqua aeri, verum aer vicissim aquæ quodammodo permiscetur, unde *spuma*, corpus ex aere & aqua mixtum.

907. Quomodo verò ista mixtio contingat, tum perspicitur, cum ex aliiore loco in vas inferius vinum aliasque liqvor infunditur. Facile enim tunc aer intercipitur, qvì tamen liqvatis particulis ob vim gravitatis descenditibus paulatim inde solutus ascendit.

908. Huc pertinent quoque *bulla*
in

in liquidis, quorum pelliculae viscosæ aerem inclusum aliquamdiu detinent, perinde ferè ut in vesica sit. Ita lactis tremor agitatus valde inflari & in bullas plurimas attolli solet.

909. Imò spuma ex plurimis exiguis bullis componitur. Cumqve ea ratione multas habeat superficies, quorum prima partem luminis aliquam reflectit, secunda aliam, atqve ita deinceps, vix ac sàpe ne vix quidem aliquid superest quod ulterius perget.

910. Qvæ causa est, ut lumen faciliter ad trium hastarum altitudinem in aquam penetret, quam per auxillum spumæ.

911. Spuma eadem de causa alba est, qvia vitrum aut glacies contusa, nix item & grando alba esse solent.

CA-

CAPUT XXVI.

De Mari, Fonte, Nive, Pluvia, Salsis, Dulcibus, & sapore.

912. EX antecedentibus abundè liquet, qvam tam in aliis fluidis, qvam in duris corporibus, tam infraqvam supra terram reperiri.

913. Qvo intuitu plusne in mundo terræ an aquæ detur, vix dicere queas.

914. Maxima tamen aquæ copia in Mari congregata, qvod commune, quasi aquarum omnium receptaculum est.

915. Et isthic locum aquæ naturalem potissimum esse dixeris, uti materia primi elementi locus naturalis in Sole, & Stellis fixis ponitur, qvod ibi maxima ejus copia coacervata sit.

916. Ac sicuti calorem & ignem re-

H.

liqum præcipue à Sole similibusque principiis arcessimus, & alibi minorà majoribus in universo jam constituto derivamus : ita hic à mari fontium & fluviorum originem petimus.

917. Maris enim aqua suo & pondere & motu multiplici ad terræ profunditates impellitur, atque infra montes & campos magnæ cavitates aquis plenæ inveniuntur.

918. Inde verò aqua sursum, vel ad ipsa montium juga elevatur, vi caloris subterranei in vapores resoluta.

919. Qui vapores, hoc est, aquæ particulae, vi caloris ab invicem disjunctæ ac celeriter motæ, interdum ad nubes attolluntur, ubi frigore, id est, tardiore motu concrecentes, pluvias, nivem, aut alia meteoræ aquæ producunt, pro vario concretionis modo & aeris regione frigidiore aut calidore.

920. Nam aliquando in altioribus locis nix est, quod in humilioribus pluvia.

921.

921. Facilius autem per terræ meatus quam per aerem isti vapores ascendunt, quoniam durioribus terræ particulis suffulti non dissipantur, ut sit inter fluidi aeris particulas mobiliores.

922. At frigore succedente circa exteriorem terræ superficiem torpescunt, & amissa vaporis forma in aquam revertuntur.

923. Quod frigus quo majus, eò copiosior aqua (Nisi tantum sit, ut gelu constringantur omnia.)

924. Ita hieme plures esse pluviae solent quam aestate (dummodo satis multi vapores in aere congregentur, quod quia aestate fit, dum illi in frigida aeris regione concrescent, neque tunc temporis pluviae desunt.)

925. Ac licet etiam hieme non pluat, tamen largior aquæ ex terris effusio cernitur.

926. Et largior matutino tempore quam meridiano, aestate præfertim.

927. Porro quemadmodum exigua in

in itinere mora sufficit, ut alius qui sequitur tecum conjugatur: ita aliqua retardatio particulas jungeret potest, hoc est remissius frigus latitatis est potens ad vapores in aquam cogendos.

928. Et contra exigua acceleratio satis est valida ad particulas magis disjungendas, id est, parvus calor aquam in vapores redigere potest.

929. Ita vapores ex eo quod in olla coquuntur ascendentis in concava operculi superficie in aquæ guttulas abeunt. Nempe gradus omnino varius & hic & alibi agnoscere licet.

930. Quamvis autem non magna inter particulas vaporis & aquæ, ratio ne situs & motus, interdum distantias sit, longè tamen sunt tenuiores vaporum particulæ (secus enim ad aere rem referri non possent) quam aquæ guttulae, quæ ex pluribus minoribus aquæ particulis constant (adeo ut guttula pro minimo naturali aquæ nequeat haberi).

931.

931. Proinde aquæ guttulae per angustos meatus, quibus vaporesscenderunt, vicissim descendere non possunt.

932. Sed aliquanto latiores vias in crustis exterioris terræ inveniunt, quibus aqua obliquè secundum declivitatem vallium & camporum deducitur.

933. Atque ubi istæ subterraneæ aquarum viæ in superficie montis, vallis aut campi terminantur, fontes scaturiunt, quorum rivi multi simul congregati flumina componunt, & per decliviores terræ partes in mare labuntur.

934. Lacus tamen oritur, ubi talis declivitas non invenitur. (Sic gradatim ex pluribus vaporum particulis guttula, è pluribus guttulis rivulus, ex pluribus rivis fluvius, qui mari aggregatur)

935. Atque ita mare terra continente, cuius alveis continetur, extrema illa parte, ubi flumina ingrediuntur, humilius est, licet instar arcus postmodum assur-

assurgens *altius* evadat, unum cum ter-
raglobum conficiens.

936. Qvamvis autem indesinenter
multæ ex montibus aquæ versus mare
fluant, terræ tamen cavitates non ex-
hauriuntur, nec mare augetur.

937. Qyoniam tanta circiter aquæ
quantitas è mari versus radices mon-
tium perpetuò redit, qvanta ex mon-
tibus egreditur. Hinc in profundissi-
mis fodinis, qvo pluvia nunquam de-
scendit, fontes eriri fossores, ibi sæpe ab
aqua obruti, experiuntur.

938. Ab hac circulari aquæ è mari
egressu & in mare regressu etiam *peren-*
nitas fontium & fluviorum pendet: qvos
aqua pluvialis, & qvæ è nivium reso-
lutione venit, auget.

939. Et qvamvis mare sit salsum, so-
lx tamen aquæ dulcis particulæ in fon-
tes ascendunt.

940. Qvia molles & flexiles, unde
& molliter super linguam fluitant.
Adeo ut necesse sit cogitare, eas instar
funicu-

funiculorum ex particulis minoribus
esse compositas.

941. Salsæ verò cùm sint, duræ &
inflexiles, unde in cuspides erectæ pun-
gunt.

942. Nec facile in vapores mutari
necullo modo per obliquos & angustos
terræ meatus transire possunt.

943. Hinc est qvod maris aqua are-
na percolata dulcescit.

944. Qvamvis denique assidue dul-
cis aqua per flumina in mare reverta-
tur, mare tamen non dulcescit, qvo-
niam æqualis copia salis in eo semper
manet.

945. Si tamen in remotioribus à
mari puteis aqua salsa reperiatur, aut
per terræ rimas non percolata eò per-
venit, (qvod superficies maris æque
sit alta ac puteorum fundus §. 916.)
aut per latiores ejusmodi vias, aquæ
dulcis particulæ salsas per duri corpo-
ris acclivitatem sursum elevarunt.

946. Sic enim non modo aër (ut
patet in vento) verum etiam aqua du-

riora corpuscula secum defert, ut patet in iis, qvæ aqua abluuntur, & in distillationibus qvibusdam.

947. Ita cum in Armenia terra minio abundet, vapores illius terræ particulas in sublime secum vehunt. Unde nix ibi quandoque rubra delabitur. Simile fieri cogitabis, ubi sangvine aut lacte pluere videtur.

948. Jam qui dulcis aquæ flexilitatem satis attendere, aliarumqve aquæ particularum tenuitatem cum aliarum crassitudine conferre voluerit, is absqve ulla difficultate videbit, cur sal in porosum carnium impactum eas induret & conservet. (Nempe ut alicubi palis in terram defixis solum firmius redditur) dulcis autem aqua eas emolliat & corruptat.

949. Cur naves, qvas mare sustinuit, quandoque mergantur in flumine.

950. Cur non tam alte immergantur ibi, qvam hic. Nimis ut pila longius à corpore duro resilit, à molli autem

autem non resilit, aut minus longè.

951. Cur æstate mare falsius, item sub Zona torrida.

952. Cur Ægyptii ad potum diurnum noctu è Nilo potissimum aquam hauserint, anteqvam sol subtiliores partes in vapores redegisset.

953. Cur aqua cruda tardius congelaretur eâ, qvæ diu bullit antea, nunc autem frigida est. Nempe qvia tenuiores & mobiliores partes, congelationem impediunt, evaporârunt.

954. Cur vinum & cerevisia in vaporem conversa odorem saporemqve genuinum exuant, nisi vasis bene custodita aut operculis tecta fuerint.

955. Denique ut rigidæ salis, ita flexiles aquæ particulae magnitudine admodum variant; sicuti baculi longiores, breviores, crassiores, ac tenuiores esse solent.

956. Obiter ex iis, qvæ de salsis ac dulcibus habuimus, colliges, in qvæ consistat natura Saporum, nempe in eo, quod corporum terrestrium particulae

ab invicem disjunctæ & simul cùm sali-
va in ore natantes lingvam diversimo-
de movent, prout ipsarum figuræ sunt
diversæ.

957. Adeò ut particulæ humidæ vel
humectatæ in ore natantes gustum, sic-
ciores autem in aëre ac naribus volan-
tes odoratum potissimum afficiant.



CAPUT XXXVII.

De Æstu Maris.

958. **S**uperest explicandus maris ille
motus, quo bis in die singulis locis
attollitur ac deprimitur, aëre inferiore
sæpe motum ejus imitante.

959. Nimis ut liqvor aliquis, in
poculum aut vas, cuius labra sicca,
majore copia infusus, non pressus in
medio protuberet, pressus ad labora co-
piosius affuit:

960. Ita mare (quod similiter à ter-
ra sicca continetur. §. 916.) altius est in
medio, quoties non premitur; at quo-
ties

ties ibi premitur, ad littora afflit.

961. Pressio illa maris ibi existit ubi
materia cœlestis, terram & lunam | pe-
culiare vortice deferens, celerius
fluit.

962. Celerius fluit, ubi spatium Cœ-
li redditur angustius.

963. Spatium illud inter terram &
vorticis terræ extremitatem (seu, in
illa terræ vorticis diametro) redditus
angustius à Lunæ præsentia.

964. Et quoniam terræ circa pro-
prium centrum delatio viginti qua-
tuor horis absolvitur,

965. Si ipsius superficies in quatuor
partes divisa intelligatur A, B, C, D.

966. Luna nunc eminens supra A,
post sex horas existet supra B, at-
que ita deinceps.

967. Unde sequitur necessum esse,
ut maris aqua singulis duodecim ho-
ris in uno & eodem loco fluat, ac re-
fluat.

968. Et hunc effectum non à pecu-
liari aliqua Lunæ qualitate vel influen-

tia, qva humoribus dominetur, proficisci; Sed à solo Lunaris corporis, qvod satis magna molis est, præsentia & interpositione.

969. Sic Platea fit angustiore eo loco, ubi crassum aliquod corpus ponitur; unde porro contingit, ut ventus in latera plateæ ibidem fortius impingens obvia corpora, nisi dura vel aliis alligata sint, sibi cedere faciat.



CAPUT XXVIII.

De igne, Terræ motu, Thermis,
Cinere, & Carbone.

970. Ignis & Aqua maxime quidem si-
bi adversari videntur: conve-
niunt tamen in eo, qvod ignis instar
fluminis perpetuo gignitur & fluit,
qvanquam id præ celeritate vel etiam
distantia, ut in stellis, seu ignibus ca-
lestibus, nos lateat.

971

971. Sed ignis apud nos (qui non est purus, ut in sole, sed particulas tertii elementi admixtas habet, qvod vel color docet) originem & naturam jam investigemus: cum non solum eò nos invitent ista quam modò diximus, aquæ tum oppositio, tum similitudo; verum etiam consideratio superiorum, ubi præter solis calorem docuimus ignem in terris reperiri, qui vapores attollat.
§. 899. fin.

972. Et planum quidem est ex antecedentibus, qvod globuli secundi elementi poros omnes terrestrium corporum occupant,

973. Ita tamen, ut exiguos angulos a globulis relictos sola materia primi elementi repleat.

974. At quamdiu tantum in minimis illis angustiis hæc continetur, nec visum afficere nec particulas terrestres secum rapere valet,

975. Nec proinde appellatur *ignis*, ut nec *aqua* nominatur, nisi hæjus par-

H 4

ticula

ticulæ in guttam sensibilem concreverint.

976. Ut igitur Ignis alicubi primùm excitetur, id est, ut tanta materiæ primi elementi copia congregate, qvæ lueat & ardeat, globuli cœlestes expelli debent, ab intervallis qvarundam particularium terrestrium.

977. At simul ac globuli cœlestes loca illa denuò occupant, ignis vires franguntur, & minora cedunt majoribus, mobiliora minùs mobilibus.

978. Considera quantum vires ignis frangantur, si radiis Solis exponatur.

979. Qvapropter Ignis corporum collisiōne, veluti silicis & chalybis, non cām generatur qvam congregatur.

980. Ejusqve *extinctio* est particularum ante conjunctarum segregatio, non annihilatio. (similis est aqvæ evaportatio.)

981. Ita leniore oris flatu candela extinguitur, qvia materia primi elementi facilius cedit, v̄ehementiore, rursus accenditur.

982. Nectamen ignis oritur, cūm terrestres particulæ globulos secundi elementi undiqve repellunt, ut particulae primi elementi confluant,

983. Verū etiam cūm globulorum ipsorum pressiones multæ, hoc est radii Solis ope speculi concavi, versus unum locum diriguntur.

984. Sic enim junctis viribus ac densoqvasi agmine globuli agunt, atqve etiam se mutuò intersecando variam & vehementiorem agitationem faciunt.

985. Qva ratione idem præstant in excitando igne & secum rapiendis tertii elementi particulis; qvod materia primi elementi.

986. Nec refert à qua causa particulæ terrestres celerrimè moveri primū incipient (s̄pē qvidem sufficit diversorum corporum mistura, uti videamus in calce aqva adspersa.)

987. Nam si tantūm materiæ primi elementi tota innatent, protinus celerrimam agitationem acqvirunt seu ignescunt.

988. Ita dum culter super ligno aut lapide acuitur, id est, ultro citroque diutius agitur, varius ille motus calorem, quandoque etiam ignis scintillas producit.

989. Nec obstat quod exigua solum quantitas hujus materiæ circa terrestres particulas saepe reperitur, namque uti navis non minus facile cursum fluminis sequitur, ubi tam angustum est, ut ripas utrinque fere attingat, quam ubi est latissimum: ita particulae terrestres sequuntur cursum primi elementi, dummodo cingantur ab eo.

990. Nec tamen collisione & motu in terræ superficie, sed etiam in ejus cavitatibus ignis potest accendi, ut cum saxorum vel silicium fragmenta ex cavitatum forniciis, in substratum solum decidunt &c.

991. Et hinc oriuntur *Terra motus*, quoties nimium pingues ibi & crassi sumi ab ignis aliqua scintilla accenduntur. Nam ita subito rarefacti omnes carcer-

carceris sui parietes magna vi concidunt.

992. Illustrantur haec & firmantur cuniculis militaribus, quibus immensus pulvis tormentarius atque accusus, propugnacula & arces & maximas montium rupes disicit.

993. Contingit etiam aliquando, cum terræ motus fiunt, ut parte terræ disiecta & aperta, flamma per juga montium cœlum versus erumpant.

994. Ab ignibus quoque subterraneis fontes calidi, seu *therme* oriuntur, dum per canales igne affuentes aqua transiens incandescit. Mistura heterogeneorum corpusculorum, per fermentationem quandam, eundem in aquis effectum producere potest.

995. Porro in agitandis corporibus, terrestribus, pro eorum diversitate, Ignis ordinem & gradus hosce sequitur,

996. I. Si corpora constant particulis crassitie ac tenuitate multum differentibus & plerisque ramosis, inter quas ampli meatus interjaceant.

997. Ut ligna, cæspites & similia, quibus vulgo ignis alitur, commoven-
tur & abripiuntur primò partes tenui-
simæ, deinde mediocres earumque
opej crassiores, relinqvuntur tandem
crassissimæ, id est *cineres*.

998. Ita cum accenditur cæspes, pri-
mo tenuis & quasi fugax aliqua flam-
ma exoritur, quæ postea in majorem a-
dolescit.

999. Cineres autem cum potuerint
resistere actioni ignis, possunt etiam
obsistere actioni luminis, ipsumque
reflectere.

1000. Cumque nulla corpora re-
flectendis radiis magis apta sint quam
alba, nulla minus quam nigra: *Cine-
res* quidem *albi*, *carbones* autem *nigri*
sunt: omnis enim eorum superficies
particulis terrestribus mollioribus con-
texta est,

1001. Quæ propter suam teneritu-
dinem tam parum obsistunt radiis lu-
minis, ut eos suffocent.

1002. Mollities illarum particula-
rum

rum inde probatur, quod carbones tam
facile ignescunt, utpote quorum par-
tes jam ante fuerunt commotæ. Conf.

§ 998. fin. 2

1003. Atqui præcedenti ustione
particulae istæ non sunt absumptæ, qvia
longis & multiplicibus ramis implexæ
§ 997.

1004. Et quemadmodum carbones
nigri, postquam molliores illæ
particulae separatae sunt, in cineres al-
bos rediguntur:

1005. Sic pannus lineus radiis so-
lis expositus dealbatur, separatis par-
ticulis tenuioribus, quæ nigroris simi-
lissime coloris causæ erant.

CAPUT XXIX.

De Ignis emollitione & indura-
tione, liqefactione, & exsicca-
tione, fumo & ignis distin-
ctione.

1006. Si corpora conflata sunt ex par-
ticipiis, quarum hæ non multò
dif.

difficilius quam illæ à vicinis separantur, ut glacies, cera, plumbum;

1007. Igne primò qvidem plerique emolluntur, dum particulæ eorum agitantur quidem, non separantur tamen, ut in cera, manu calida, ferro ignito appetat.

1008. Deinde verò igne fortius a gente liqvescunt, hoc est, particulæ eorum non solum in aliquo motu constituuntur, verum etiam separantur, quod pertinet ad situm.

1009. Atque si tantus est particularum illarum motus, ut quædam ex iis in aerem vel ignem vertantur, sicque plus solito spatii ad motum suum continuandum exigentes alias expellant, corpora ista liqvida effervescent & bullunt.

1010. Effervescent & quilibet ratione sine magna perturbatione, ubi materia non est valde heterogena, ut in aqua pura, vino.

1011. At bullunt insuper, ubi materia valde heterogena est, & partim vola-

volatilis ac spirituosa, partim viscosa; ubi è volatili materia spiritus aërius bullarum cavitates replens, è viscosa autem bullarum particulæ generantur.

1012. At si motus ille caloris non superet cavitatem, materia non dilatatur nec rarefit.

1013. Hinc particulæ metalli aut vitri liqvescati non avolant in amplius spatiū, quoniam vis gravitatis in iis major est.

1014. III. Corpora qvibus insunt multæ particulæ tenues, flexiles, lubricæ, aliis crassioribus aut ramosis intertextæ, sed non valde firmiter annæ, veluti lutum vel pannus aqua madidus, igni admota priores particulas exhalant, & hoc ipso siccantur, id est, liberantur fluidis illis particulis, quæcum simul sunt congregatae aquam aliumve liqvorem componunt. Hinc etiam corpora indurantur, ut patet in luto, & poti multi ardantur, aliis contra dilatatis,

1015. Cùm verò pingves liqvores non tam facile è panno aliisque id genus corporibus, vel igne vel vento excutiantur, manifestum est, olei particulas esse instar aquæ particularum lubricas & læves, at potius ramosas & implicantes.

1016. Unde etiam oleum communè frigore citius coagulatur quam aqua: quod est consentaneum iis, quæ habuimus superius.

1017. Signum aut certè effectus ignis est *Fumus*, sensilis. aut insensilis.

1018. Oritur ille, dum excusæ ab igne particulæ, ad motum minus aptæ, per aërem tardius volant.

1019. Sic terra quoque fumat hiberno effossa tempore, propter calorem inharentem. Unde nix citò liqueficit, quæ agro cadiareceñs inarato.

1020. Tandem *Ignis* (voce latius accepta) est vel *tantum lucidus*, ut in lignis putridis;

1021. Vel *tantum calidus*, ut in fimo aut feno putrescente, item in sanguine animalium.

1032,

1022. Vel *calidus* & *lucidus* simul, quidem perfectus Ignis censeretur debet.

1023. Ignis hujus visibilis & ardoris pars minima vocatur *scintilla*, quæ ita componitur ex particulis materiae primi, vel etiam tertii elementi, ut gutta ex plurimis vaporum particulis.

1024. Hic ignis vel spatium aliquod aëris solus occupat, expulsis inde globulis cœlestibus, ac dicitur *Flamma*; vel in poris tantum & meatus corporum continetur.

1025. Ubi vel materiam aliquam sensim depascit, ut in funibus bombardis, aut ea quidem destitutus temporiter aliquo eget, ut inde egrediatur; quod fit in *ferro candente*, & *pru-*
nis.

1026. Ferrum candens per ingressum particularum ignis dilatatur (haud secus ac panis per ingressum lactis aut vini in ejus poros,) & ab igne remotum iterum ad priorem quantitatem redit.

C.A.



CAPUT XXX.

De Fossilibus, Sale, Sulphure,
& Mercurio, Lapide, Calce,
Cinere, Vitro, Metallis,
& Ferro.

10027. **H**Aecenus de Terra, Aëre,
Aqua, Igne, quæ mundi
sublunaris Elementa vulgo censem-
tur, eaque occasione etiam de *Meteo-*
ris quibusdam, veluti nubibus, ven-
to, nive, &c. quæ parum à prioribus
diversa sunt, egimus.

1028. Nunc dicendum nonnihil
est de iis corporibus, quæ ex terra ef-
fodiuntur, atque inde *Fossilia* appellan-
tur, cujusmodi sunt lapides & met-
alla & alia quædam molliora.

1029. Huc primo pertinent activa
Chemicorum principia, Sal, Sulphur &
Mercurius.

1030. Ubi nomine *Salis* intelligi-
mus

mus suceum acrem, ex salis particulis
teretibus & rigidis terræ interioris
meatibus interceptis & vi caloris glaci-
diolorum instar contusis factum.

1031. Perinde ut virga ferri carentis
rotunda crebris malleorum ictibus in
laminam oblongam complanatur.
Qvod enim hic malleus præstat, id in
particulis istis faciunt dura crassissi-
ma terra meatuum latera, quibus hinc
inde alliduntur atque affricantur.

1032. Nomine *Sulphuris* intelligi-
mus mollissimos & minutissimos ramu-
los pinguis vel oleagineæ materiæ.

1033. Tales esse sulphuris particu-
las satis conflat, quia maxime est in-
flammabile. Hinc enim sequitur ejus
particulas valde tenues & molles
esse.

1034. Nomine *Mercurii* intelligi-
mus argentum vivum liqvorem val-
de ponderosum & opacum, ex parti-
culis crassis, lubricis ac lœvibus con-
stantem.

1035. *Pulveres tormentarii*, è sul-
phure,

phure, nitro (vulgo Salpetræ vocant) & carbone confecti, visè dictis intellegitur; eo quod sulphur quidem citissime inflammatur, carbones etiam facile ignescunt.

1036. Salis autem particulæ rigidæ & oblongæ spiculorum instar in flamma vibrantur, & in alia corpora impingentes magnam vim habent ad eorum minutias concutendas.

1037. Salis moles in montibus quibusdam instar lapidum aliquando concrescunt, quoniam aqua maris eò ascendente, flexilibus ejus particulis ulterius pergentibus inflexiles cohaerent.

1038. Simili modo Sal à particulis dulcibus separatur, dum aqua marina fossilis minimè profundis excepta, illæ aëre calido & sicco in vapores attolluntur.

1039. Qui hæc & similia attendit, ac pariter illa quæ de corporum durorum cohaerentia generatim diximus, memoriâ repetit, is haud difficulter intelli-

telliget, quomodo Lapis ex pluribus arenæ particulis concrescat.

1040. Sic enim quandoque contingit, ut fontes secum vehant saxonum, per quæ fluunt, exiguae particulas, talibus præditas figuris, ut aquâ illâ tardius postea alicubi motâ cohaerentes lapidem componant.

1041. Itaque fontes existunt, in quibus lapides producuntur. Nec dissimilis est *calculi* in corpore humano generatio.

1042. Et quoniam non modo lapis, sed aliorum quoque fossilium particulæ variae fontibus per terram et currentibus misceri solent, inde minerales seu medicatae aquæ diversæ proveniunt.

1043. Lapi des ab ossibus & lignis duris eo distinguuntur, quod hæc beneficio succi alicujus per eorum peros in omnes partes distributi crescunt. Lapi des autem crescunt solum per additionem aliquam partium, quæ vel extero-

teriori superficie adhærent vel interiori pororum impinguntur.

1044. Lrides differunt à *metallis*, qvod hæc malleo duci & igne fundi possunt, adeo ut refrigerata pristinam figuram recuperent. Lrides non item.

1045. Lapis tamen malleo friari ac vehementiore igne sic dissolvi potest, ut abeat in calcem, qvem admodum ossa & ligna in cineres resolvuntur.

1046. Hæc duo sic differunt, qvod *cineres* sunt reliquæ illorum corporum, qvorum pars magna igne consumpta est. *Calx* autem eorū, qvæ fere tota, ussione absoluta, manet.

1047. Conveniunt in eo, qvod particulas tam solidas & crastas habent, ut ignis vi ordinaria sursum instar vaporum attolli non possint.

1048. (Soliditatem autem & crastiem vel inde probes, qvod velut coticula qvædam ad acuenda & polienda alia corpora dura, veluti cul-

eros,

ros, gladios, adhibentur, qvem usum quoqve præstant arena, & *simris* comminutus, qvo integro vitrum funditur.)

1049. Et figuræ habent ut plurimum irregulares & angulosas, unde fit, ut aliæ qvidem aliis incumbant, sibi tamen mutuò non adhærent, nec etiam nisi forte in minutissimis qvibusdam punetis vere se contingant.

1050. (Unde colliges, qvod inter cinerum particulas, qvibus vas aliqod impletur, pori dentur qvam pluri. Est simili modo particulas arenæ sibi incumbentes aër vel aqua intercipit.)

1051. Cum autem postea validus ac diuturnus ignis, id est, particulæ tertii elementi, tenuiores illis crassioribus, cum globulis secundi elementi à materia primi abruptæ, circa ipsas celerrime qvaqva versus moveri pergunt,

1052. Paulatim eorum anguli attenuantur, & superficies lèvigantur, & forte etiam nonnullæ inflectuntur, scilicet de salis particulis antea diximus.

1053. Atque ita aliæ supra alias obliquæ repentes & fluentes non punctis duntaxat, sed exiguis quibusdam superficiebus sese contingere incipiunt.

1054. Adeo ut nec aeris nec aquæ, nec alterius cujuscunq; materiae tertii elementi particulae inter tales cinerum & calcis particulas intercipiantur, quemadmodum alias contingit.

1055. Atque hinc existit corpus liquidum, quod ab igne remotum & frigore concretum *Virum* appellatur. Similiter aquæ particulae, quoties à materia cœlesti agitari desinunt, in *Glaciem* convertuntur.

1056. Cum verò aquæ particulae minus crassæ sunt particulis cinerum, non tanta vis ad illas, quanta ad has agitandas requiritur. Nec proinde tam remissio frigore aqua consistit.

1057. Vitrum igitur valde durum est, quia particulis constat tantum crassis & inflexibilibus, quæ non ramulo-

rum intextu, quemadmodum in molibus contingit; sed contactu solo junguntur.

1058. At quia superficies, secundam quas ejus particulae se invicem tangunt, sunt admodum breves, vitrum quoque valde *fragile* est. Multaque mollia difficilius franguntur, quia partes habent sic intertextas, ut separari nequeant nisi pluribus earum ramulis ruptis atque evulsis. Sic annuli in catena id efficiunt, ut facile quidem huc illuc inflectantur, non autem divellatur.

1059. Porro vitrum, quando liquidum, varias induere potest figuræ, & postea concretum retinet eam, quam ultimo induit. Eademque ratione poros servat, per quos globuli secundi elementi quaque versus pergunt secundum lineas rectas moveri, ut prius movebantur in liquefacto. Unde vitrum pellucidum.

1060. Denique rigidum est. Nam quoties externa vi aliquantillum infle-

ctur, illico pororum ejus figura non nihil mutatur. Unde particulae materie per illos transire assuetæ, vias ibi solito minus comodas invenientes, ac nihilo minus quoad possunt in motu suo perseverantes impetum faciunt in eorum parietes, ad priorem ipsis figuram redendum.

1061. Et proprietas hoc pacto resiliendi insignis est in omnibus corporibus duris, quorum exiguae superficies mutuo contactu, non ramulorum in-textu cohærent.

1062. Sicuti autem vitrum, propter suam perspicuitatem, in lumine deferendo visui nostro inservit: ita metallum commodant auditui in efficiendo sonum.

1063. Valde enim sonora sunt ea ex quibus campanæ, nolæ ac tintinabula parantur; quod signum est evidens, in eorum poris aëris divagari plurimum.

1064. Et instrumenta ista cava, præcipue si pendula fuerint, semel percussa ali-

aliquamdiu resonant: quoniam ex percussione tremorem concipiunt, quo aëris intra cavitatem contentus hinc inde alluditur.

1065. Qui tremor appositione manus aut alia quacunque de causa dum impeditur, confessim sonus perit.

1066. Adeo ut mirifice hinc roborentur, quæ de natura Soni docuimus.

1067. Originem metallorum quod attinet, cum adeo solida sint & gravia, ut ex crusta terræ superioris, quæ mollior, vix oriri posse videantur, verosimile est, illa in terra interiore delitescere.

1068. Inde autem ad nos pervenire, quod acres succi per meatus inferioris terræ fluentes quasdam illorum particulas ab aliis disjungant. (Nam & aquæ metallicæ eorum particulas secum vehunt.

1069. Quæ deinde materia oleagineæ involuta atque vestita facile ab argento vivo, calore rarefacto, sursum rapiuntur, & pro diversitate suarum

I 2 magni-

magnitudinum & figurarum diversa metalla constituunt.

1070. Et quando sic ascendere vix possunt metalla, nisi ex illis partibus terræ inferioris, quibus exterioris fragmenta, nulla intercurrente aqua, conjuncta sunt, inde patet, cur non in omnibus terræ locis inveniantur.

1071. Attolluntur autem per terre venas versus montium radices: ubi cum pluribus rimis terra fatiscat, metalla potissimum congregantur; & quidem in iis montium partibus, quæ sole magis incandescent.

1072. Itaque nobiliora metalla, ut & lapides pretiosi, ex. gr. adamas, in regionibus tantum calidis reperiuntur, quia prius quam ad eiusmodi puritatem materia perdatur, permulsum actionis aut motus requiritur.

1073. Quamvis autem ista ratione aurum inter metalla sit pretiosissimum, Ferrum tamen cum sit maximè vulgaris usus inter homines, & præ ceteris corporibus à magnete affiliatur, in hac

epi-

epitome, quæ magis obvia & communia perseqvitur, potius attingendum est.

1074. Primo nullum metallum absq; ignis adminiculo tam difficulter malleo flectitur. 2. Nullum adeo difficulter igne liquescit. 3. nec ullum tam durum sine alterius corporis mistura redi potest, veluti cum fusione fit chalybs.

1075. Quæ tria indicio sunt, ejus ramenta magis ramosa & angulosa esse, quam cæterorum metallorum, atque ideo sibi invicem fitius annecti.

1076. Ut cunque autem Ferrum a liis metallis durius & minus fusile deprehenditur, est tamen ex minimè ponderosis, & facile rubigine corruptitur, aut aquis fortibus eroditur.

1077. Quæ omnia docent, ejus particulas non esse aliorum metallorum particulis solidiores, uti sunt crassiores; sed multos in iis meatus contineri.

1078. Ut que de rubigine verbum addamus, ea constare videtur exhalationi.

tionibus ac spiritibus vel partibus sulphureis, qvæ ex ramentis ferri efflorescent ejusqve meatuum orificia occludunt.

1079. Ejus initia sunt aëris humida-
tas & situs. Usu verò atqve attritu, i-
tem inunctione olei tollitur aut præ-
cavetur.

1080. Qualis autem ratio est ærugi-
nis, atqve rubiginis, talem etiam pro-
pemodum esse cogitabis *mucorū*. Sic
panis, vestimenta, fructus qvidam,
caro aliaqve id genus mucescunt.



CAPUT XXXI.

De Viventium & non viven-
tium differentia.

1081. Videlicet haecenus Tellurem,
quam tribus partibus consta-
re diximus, terra, aqua, & aere: &
quomodo horum angustissimi, pori ab
elemen-

lemento primo & secundo occupen-
tur, percurrentur, agitantur, ignesqve
sæpe in iis gignantur.

1082. Item quomodo ipse Tel-
luris partes à duobus illis elemen-
tis plurimum, per motum, quotidie
afficiantur, & immutentur, hincqve in-
numeræ variatum rerum alterationes,
generationes & corruptiones in ea ob-
serventur.

1083. Et quomodo in Terra, qvæ est
pars Telluris, generentur corpora alia
vite expensa, ut ferè omnia fossilia, la-
pides, metalla; alia *viva*, ut plantæ &
animalia.

1084. Cumqve haecenus de prio-
ribus egerimus, ex posterioribus au-
tem, nimis viventium numero, &
corpora nostra sint, & qvæ existunt
alia, quamplurimis modis homini in-
serviant, omnia denique singularem
Dei sapientiam, bonitatem & poten-
tiam demonstrant, eorum quoqve con-
templatio Physicum vel maxime de-
cet.

1085. Contemplabimur igitur corpora viventia primò quidem generatum, secundum ea quæ omnibus quodammodo communia sunt.

1086. Deinde verò speciatim ad Plantarum & Animalium, deniq; ad Hominis theoriam animum applicabimus.

1087. In generali & communis theoria primò quidem differentia viventium & non viventium investiganda, ut illud, in quo vita consistit, inveniatur.

1088. Differunt autem Viventia a non viventibus, quod horum, ut ecce lapidum, metallorum & reliquorum fossilium, integra corpora sub qualibet figura sensibili consistere possunt: at plantæ & animalia, certam figuram postulant.

1089. Hinc solis Viventibus adscribitur corpus organicum, hoc est, variis organis præditum, cuiusmodi sunt in Planta radix, caulis, ramus, surculus &c. in Animali caput, os, venter &c.

1090. Major itaque corporum viventium pulchritudo est, quatenus è varietate quidem ea estimatur. Saltem in alias

aliis corporibus tanta varietas sensu non percipitur.

1091. Ad hæc vivorum corporum talis est textura, ut innumeræ habent fibras seu fila & villos, id extremitates partium ex quibus constant, inter quas pori quamplurimi, sæpe etiam satis lati, interjacent.

1092. At quoniam corpus organicum, partium & figurarū varia textura, in machina quoq; artificiali, itē cadaverē vel planta mortua inveniri possunt,

1093. Viventia ab artefactis illis ac mortuis corporibus in eo differunt, quod succus aliquis, quo aluntur & crescent. per meatus eorum in omnes partes, & quidem in longum, latum, & profundum, diffunditur. §. 1034.

1094. Diffunditur autem ac distribuitur ejusmodi succus in corporum viventium partes, beneficio caloris, sole aliore igne proficiscentis.

1095. Ita ut quæ de cœlestium in sub cœlestia actione generatim diximus, & speciatim de metallorum in terris proventure repetivim § 1040. hoc etiam

loco ad plantas & animalia oportet applicare.



CAPUT XXXII.

De Vita & vegetatione in calido & humido temperato.

1096. **Q**apropter omnis vita corpora in calido & humido consistere vulgo dicitur: quorum illud argumentis, hoc patientis rationem habet.

1097. *Calidi* autem nomine intelleges Ignem illum ardenter & non lucidem, de quo §. 1012.

1098. *Calor viventium vitalis cognominatur*, & à cœlesti, cuiusmodi à Sole proficiuntur, atq; elementari qualis in igne culinario ex. gr. est, distinguitur.

1099. Gradibus tamen potius, quam naturâ atque essentia, calorem co-

cœlestem, elementarem ac vitalem differre judicabis, ubi operationes uniuscujusque attenderis.

1100. Atque ut omnis ignis pubulum aliquod requirit: ita speciatim calor vitalis absque humore quodam conservari nequit.

1101. Quandoque videm autem viventia nec ita calent ut conflagrent, nec ita hument, ut diffuant, patet calidum in illis frigido, & humidum siccum quodam, naturæ uniuscujusque congruenter, temperatum esse.

1102. Hoc Medicis appellatur *temperamentum adjustitiam*: quod opponitur temperamento *ad pondus*, ubi calor, frigus, humiditas, siccitas inter se gradibus æquari intelliguntur: quale fortassis non datur.

1103. Quidam igitur justum calidi & frigid, humidi & sicc temperamenti in viventibus requiritur, hinc est quod perfectiora animalia cibo simul & potu indigent.

1104. Item, quod succus omnis,

quo nutrituntur viventia, pulvisculis durorum corporum est inspersus.

1105. Denique quod calore & frigore per vices ista corpora vegetantur & crescunt.

1106. Atque ita vita quoque nostra non simpliciter illis, quæ calidum & humidum augent, sustentatur; (liquoribus enim calidis tunc perpetuo esset utendum.) Sed iis, quæ bonam in sanguine fermentationem excitant, qualia interdum valde frigida, ut acetum; vel sicca, ut chalybs preparatus. Exemplum ejusmodi fermentationis cernitur, quoties affusione aceti frigidii olla, in qua coquuntur pisces, ebullitione propinquaque, actu ebullire & exundare incipit.

1107. Humidum ita temperatum ubi majore copia reperitur, ibi viventium corporum uberior proventus, dummodo calor non deficiat.

1108. Sic gramen in locis crescit humidioribus. Similiter pili in corpore nostro. Uva & alii fructus in maiorem

jorem molem excrescent, quoties non deest pluvia.

1109. Evidem humiditate germinationem promoveri, vel inde colligas, quod in locis humidioribus corpora mucescunt & rubigine obducuntur, in siccioribus non item.

1110. Pariter calidum rite temperatum ubi magis invenitur, ibi plura viventia nascentur. Sic æstate plantæ, muscae, culices, vermes è carne ingente numero proveniunt.

1111. Nimirum ut pluvia deficit, ubi vel deest materia humida, vel deest calor ejus particulas elevans, vel frigus eas iterum condensans: ita plantæ & animalia similes ob causas deficiunt.

1112. Ex quibus patet, cur aromata alii quæ fructus, quos à calore multum elaborari necesse est, in calidioribus tantum regionibus inveniantur. Ita nec passim uva maturescunt.

1113. Insuper è dictis intelligitur, cur brevi æstate in septentrione, at majore altu & longioribus diebus frumenta

citius crescant, quam in aliis regionibus: ita quidem ut intra septimam vel octavam à satione hebdomadæ saepemetantur.

1114. Sic mel Russæ magnopere commendatur, quia licet ea tellus sit ad septentrionem, ob longiores tamen dies æstivos, ros & halitus florum diutius à sole excoquuntur.

1115. Quantum verò ad arbores & corpora, quæ longiore tempore egerint, quo ad justam magnitudinem perducantur, illa in frigidis regionibus magis recta & procera, in calidis curva & breviora nascuntur.

1116. Confer abietes aliasque arbores, item capillos & humana corpora septentrionalia cum iis, quæ in calidioribus crescunt regionibus.

1117. Calor enim in frigidis terris est tardior, uti motus esse solet in viis rectis; in calidis celerior, quemadmodum in viis obliquis motus esse conservavit.

1118. Cumq[ue] celeriter moto corpori vel exigua vis resistat, hinc fit, ut servidiore calore agitata corpora propter

OC-

occursum aliorum facilius à recta via detorqeantur.

1119. Brevitatis in corporibus viventibus hæc etiam causa est, quod calor intensior poros aperiendo citius humidum alimentum consumat, & corpora calore exsiccata & indurata in ampliore molem extendi nequeant.

1120. Unde qui calorem intensus obtinent homines, non solum brevis statura, sed etiam macilenti esse solent, atque ad iram proclives: quo varia proverbia spectant.

1121. Contra illi, quibus calor est moderationis pinguiscent: ut fœminæ plerumque viris sunt pinguiores, nisi morbus aut alia præternaturalis causa obliterit.

1122. Et quoniam frigus aëris ambientis constringit interiore calorem, ne dissipetur, inde est, quod coctio ciborum in corporibus nostris melius procedit hieme, quam æstate. Unde ventres hieme calidiores Hippocrates affirmavit. Æstate & locis calidis minus viget appetitus.

1123.

1123. Ideoqve Itali in cryptis & speluncis vel circa noctem s̄apē cibum capiunt, diurno vero calidiore dormiunt.

1124. Nempe hieme & frigido qvo-vis tempore & loco pori corporis magis sunt coarctati. Et aestate qvoqve cibus eo melius coquitur in ventriculo, qvo arctius ille clauditur. Simile contingit in olla, qvæ operculo tegitur.

1125. Inde qvoqve est, qvod populi Septentrionales magis vivaces & robusti sunt aliis.

1126. Tandem ex iis, qvæ de humido ad germinationem necessariò dixi, etiam seqvitur, argillosum agrum arenoso fertiliorem esse.

1127. Nam *argilla*, ut pote terra pinguis, ramosas adjunctas habens particulas è spirituum & exhalationum conjunctione natas, sistit pluviam, quemadmodum pilæ motum lana sistit.

1128. Unde *argilla* vel *marga*, id est, *argilla* spissiore seu densiore, ut fera-

ciores

cieres sint, ante sementem agri sterco-
rantur.

1129. *Arena* verò, hoc est, conge-
ries minutissimorum lapillorum, li-
cet acres interdum succos conjunctos
habeat, pluviam transmittit.

1130. Ita semen, qvod cecidit in pe-
tram, enatum exaruit, qvoniam humo-
rem non habebat, Luc. 8. Contrarium
fit in arbore ad rivos plantata Psal. I.

CAPUT XXXIII.

De Viventium interitu & morte
à causis contrariis.

1131. *Porrò* sicuti vita in calido & hu-
mido temperato sufficiente con-
sistit; ita viva corpora moriuntur at-
que intreunt frigido vel sicco ita præ-
dominante, ut principium vitæ, ignis
calidus, imminuat vel tollatur.

1132. Valeat enim hoc leco illud:
con-

contrariorum causas esse contrarias.

1133. Igitur quæ causa facit, ut hie me animalia quædam, veluti musæ, ranæ, item arbores & herbæ quædam moriantur, aut certè crescere desinant.

1134. Eadem efficit, uti plantarum plurium folia sub finem autumni in regionibus frigidioribus decidant.

1135. Nimirum ob defectum caloris solaris è radice satis alimenti non elicetur: neque plantarum pori à frigore superveniente clausi sufficientem ad folia vegetanda succum transmittunt.

1136. Idem defectus alimenti, nec non siccitas atque contradictione pororum efficit, ut media æstate rosarum folia decidant.

1137. Quamvis enim calor Solis, qui succum attollere solet, æstate non defit, fermentum tamen in plantis non videatur nisi certo ac definito tempore operatione sua fungi posse.

1138. Simile exemplum habemus in calce viva, quæ aqua adsperrigitur: ubi fermentatio

fermentatio exiguo temporis intervallo finitur, & semel peracta non potest in eadem per aquam instaurari. Idem in aliis fermentationibus observatur.

1139. Ejusmodi temporis, quo plantæ cujusque fermentatio circumscripta est, & exsiccationis à calore solis incumbente proficiscentis consideratio in multis quoque aliis locum invenit.

1140. Sic poma matura in terram cadunt: ubi ad alimenti defectum & meatuum, qui sunt in petiolis, exsiccationem accedit vis gravitatis.

1141. Et propter easdem causas glandes ac nuces è putaminibus, grana espicias, pisa è folliculis, ubi maturare, delabuntur.

1142. Hæc autem, quæ de stirpium foliis, & fructibus ita decidentibus dicta fuere, etiam ad animalium pilos, plumas, pennas, cornua delabentia liceat applicare.

1143. Similes quoque effectus à laxatis poris oriuntur. His quippe dilatatis quod innatum est, nisi simul dilatetur, facile excidit.

1144. Ita cum æstivo qvam hiberno tempore meatus cutis sicut ampliores,) qvod etiam de aquæ corporum qve aliorum poris verum est) pelles bestiarum, qvæ æstate excoriatae, pilos difficilius continent.

1145. Similiter dentes junioribus excidere putantur, qvando alveoli, qvibus inclusi, magis ipsis crescunt & ampliantur. Nisi & huic effectui communem cum pomis & nucibus decidentibus causam assignare malis.

1146. Verum de morte viventium ut plenius erudiamur, cogitandum est, calorem in viventibus, qvamdiu vivunt, continuo agere humidum, ipsorumque absumere.

1147. Qvamobrem temperamentum viventium paulatim siccus evadit, ad instar carnis, qvæ igni admota assatur.

1148. Ac sicuti caro vehementiori igni proprius admota exteriore quicdem superficie comburitur, interiorib⁹ autem partibus non satis excoquitur;

ita qvandoqve contingit uvis aliisqve plantarum fructibus, dum nimium Solis æstum patiuntur.

1149. Utqve intelligas, qvemodo ipsi etiam pisces in aqua viventes progressu temporis exsiccentur,

1150. Considera elixa, subducto naturali per coctionem humore, assis qvocque sicciora reddi. Ne dicam de lignis, qvæ in aquam projecta, post justum temporis intervallum inde sicciora educuntur.

1151. Siflammam ceræ vel sevo adherentem ageas, citius suum illa absimet pabulum. Eadem ratione calido extrinsecus vel intrinsecus supra medium aducto, viventia pereunt.

1152. Sic nimio solis æstu stirpes consumuntur: & qui vinum infanti vel e quo largius propinat, vitam eorum abbreviat:

1153. Ex illa igitur caloris in humidum non satis restitutum actione corporis viventis *mors naturalis* tandem sequitur.

1154. Licet plurima q[uod] quotidie ante ilud non impedit aliundæ naturæ tempus violenta morte extingvantur.

CAPUT XXXIV.

De Ætatum differentiis.

1155. Exinde quoq[ue] etatum differunt. Emina pendent, qvarum tres omni viventium generi communes: juventus, vigor & senectus.

1156. In juventute calor à copia humidi qvodammodo obtunditur: in vigore magis fervet: in senectute humido diminuto marcescit.

1157. Qvare, corpora viventium recens genitorum humidiora cum sint, nec absit calor, plus ex illis destillat vel exhalat.

1158. Ita ex corpore infantis plus expirat, qvam ex corpore adulti.

1159. Simile est, qvod è locis humidioribus plures vapores ascendunt modo calor adsit.

modo

1160. Humiditas in causa est, cur infantes & multi sint somnii, & lachrymentur saepius.

1161. Et pediculis præcipue infestantur capita puerilia, qvia sudor vaporve ille ex capite emanans cute & capillis confidet & inhæret: aliis vero partibus difflit. Confer qvæ supra de argilloso & arenoso agro docuimus.

1162. Fadem de causa membra viventium in juventute sunt molliora, & facile hoc illuc inflectuntur.

1163. Hinc ossa in pueris fracta, non difficulter conjuncta restituuntur: in adultis, ob duritatem & siccitatem non item.

1164. Propter istam membrorum juvenilium molliitem pori quoq[ue] illum leví negotio extendi ac dilatari possunt, ut crescant & augeantur.

1165. Labentibus autem annis, ubi membra induruerunt, adeo ut pori non ita dilatari queant, viventia crescendi finem faciunt.

CA-

CAPUT XXXV.

De Viventium aliorumque
qvorundam corporum su-
perficie duriore.

1166. **V**ando verò non omnia vi-
ventium membra æq; mollia
vel dura ubiq; sunt, hoc in iis commu-
niter observatur, qvod eorum *superficies*
magis indurata esse solet, quam substan-
tia interior.

1167. Causa hæc esse videtur, qvod
partes viventium extimæ impetum a
liorum corporum impingentium pn-
me sustinent & frangunt.

1168. Semper enim sunt quæ in super-
ficiem viventium impingunt corpus-
cula innumera, nempe primi, secundi
& tertii elementi particulae, qvotq; vol-
eorum poros non pervadunt.

1169. Ideo plantarum & animalium
corpora involucris qvibusdam tegun-
tur, cujusmodi sunt *putamen*, *cutis*,

epicrux, *pellis*, *pellicula*, *cortex* &c.

1170. Qvod non modo in animali-
bus & arboribus, verum etiam in ovis u-
vis, cerasis, nucibus, glandibus, mespilis,
fabis, pisis, pomis, prunis &c. Imò in
ipsis foliis experientia manifestum red-
dit.

1171. Sed folia, utpote crassiora, id
satis evidenter demonstrant.

1172. Ob similem exteriorum cor-
porum in membra nostra impulsum,
callus in manuum & pedum extremita-
tibus generatur.

1173. Quid? qvod idem effectus ea-
dem causa in pluribus aliis inanimatis
corporibus deprehenditur.

1174. Ita nivis exterior superficies
magis induratur.

1175. Superficies item panis, lagani,
cibi, asæ, carnis & similiū in furno, ve-
nu, sartagine vel patella vi ignis expo-
sitorum.

1176. Qvod autem plus, fervidum
lac & alia fercula calida ab igne remota
cuticulam nancilcantur, id inde est,

K qvod

qvod motus caloris inhærentis propter contactum frigidioris aëris prius in superficie, qvam in partibus interioribus, ei communicatus languescit ac retardatur.

1177. Eodemque modo aqua in parte superiore congelari incipit, cùm in fundo prope terram validior sit caloris agitatio.

1178. Nempe languescente impetu materiæ subtilis, qvæ aquam interfluen-
do partes ejus à mutuo contactu qvo-
dammodo removet, illa in glaciem ver-
titur.

1179. Nempe hanc posteriorem cau-
sam à frigoris constrictione proceden-
tem ab effectu illo in corporum viven-
tium superficie, de quo in præsentia lo-
quimur, producendo excludimus:

1180. Qvamvis illa prior, in caloris
actione consitens, magis naturalis &
communis viventibus esse videatur.

1181. Hinc enim est, qvod ea parte
superficiei, qvam corpus radiis solari-
bus obvertit, uti magis excoquitur, ma-
tusescit

turescit & coloratur, ita qvoqve ma-
gis indurescat.

1182. Exemplo sint poma, pyra, u-
va præsertim rubræ, facies humana.

1183. Sed cum in tellure, plantarum & viventium genitrice observemus,
qvod molliora & humidiora ejus loca
exteriore superficie, tempore qvidem
æstatis vi solaris caloris exsiccantis,
hiemis autem tempore vi frigoris con-
stringentis, prius & magis indurescant
partibus terræ inferioribus (cujusmodi
superioris terræ condensatio & indu-
ratio etiam fistulatione, & pedum cal-
catione qvocunque tempore induci-
tur)

1184. Triplicem ejusmodi causam in
viventium qvoqve superficie confide-
tabimus, qvæ tamen causæ ad illam
expressam omnes qvodammodo
referri posse videntur

CAPUT XXXVI.

De Caloris & fermenti in viventibus varietate.

1185. **A**Dhæc non solum *externus calor*, qvi agit in corpora viventia, pro locorum & temporum diversitate variat;

1186. Verum etiam *internus*, pro distinctione, 1. ætatis; 2. sexus, varios habet effectus.

1187. Ac 3. in hoc *viventium generis* calor alius, alius in illo, debilis aut fortior, magis minusve durabilis &c.

1188. Ita cùm excrementa nostra (qvæ sunt instar cinerum tenuioribus partib⁹ igne ab sumptis remanentium) aliis animalibus, veluti gallinis, percis, in alimentum cedant;

1189. Rursus horum animalium stercore plantas alant;

1190. Manifestum est, calore solis aliquid absumi ac digeri, qvod non pot.

potest calore bestiarum, harum item calorem à nostro differre.

1191. Nempe qvod fermentatione in hoc vivente absoluta non potest in eodem ulterius fermentari, sepe respectu alterius novum atqve idoneum fermentum est.

1192. Sic fermentata satis farina ulterius qvidem fermento eodem fermentari nequit: attamen in ventriculo nostro denuo fermentatur, fitqve novum eo respectu fermentum;

1193. Eoqve melius in ventriculo fermentatur, qvo plures partes fermentatione præcedente jam sunt teneriores redditæ.

1194. Sic ergo fæces alvi, qvamvis per intestinorum fermentum amplius attenuari nequeant, ita tamen jam sunt attenuatæ, ut à bestiarum, qvæ fæcibus illis vescuntur, fermento melius subigi possint:

1195. Rursus à bestiarum fermento teneriores redditæ fæces, à Solis radiis in stirpibus facilis porrò attenuantur.

1196. Simili ratione Pharmacopœiæ, quo spiritum vini distillant frequenter, eò pauciorem ac subtiliorem faciunt.



CAPUT XXXVII.

De Natura alimenti in alito manente.

1197. **N**on obstantibus istis mutationibus, alimentorum reliquiae quædam vel in ipsis excrementis apparent.

1198. Cerasa nigra vel moros myrtifolia comederis, fæces alvi colore nigro cinguntur.

1199. Dantur alia, quibus assūtis certum odorem vel colore urina recipit: quamvis vini quidem rubri colorē eadem non servet.

1200. Sed alimenti & succi vis & natura in corpore, quod eo nutritur & crescit, magis etiam custoditur.

1201.

1201. Tametsi enim in animalibus innumeræ particulae exhalent, alia per urinam, fæces alvi & sudorum ejiciuntur;

1202. Non possunt tamen non multæ potus ac cibi partes remanere in corpore animantis, quod iis alitur ac vegetatur.

1203. Sic homines ut plurimum durisunt, qui duro cibo vescuntur: delicati & mollis contra.

1204. Si vinum bibis, aliter corpus habet, ac si cerevisia vel aqua sis contentus.

1205. Scorbuto laborant homines in terris, ubi salsis & infumatis vivunt, rarius alibi: ex. g. ubi tota aliqua civitas subsalsa aquâ ad coquendos cibos ac cerevisiam utitur, morbus iste communis est:

1206. In omni terra latere aliquid salis, ejus in plantis reliquiae docent. Ita salem absinthii Chymici faciunt Pomorum exempla cuivis obvia.

1207. Maxime quoque alimento-

K 4

rum

rum natura in plantarum & animalium fructibus sese patefacit, ex gr. in *lacte*.

1208. Prout enim gramen aut stramen vaccæ comedunt, ita & *butyrum* aliam vim, alium colorem & saporem obtinet.

1209. Vere, quando floribus & herbis recentibus nutriuntur, id in primis apparet. Inde *butyrum vernum* valde commendatur. Et lac tunc temporis salubrius.

1210. Notatu digna est Medicorum observatio, quod ubi planta purgans a capra devorata fuit & in chylum vel sanguinem ac tandem in lac conversa, si lac illud à nutrice bibetur, atque iterum per varias mutationes in lac muliebre vertatur, infantem ubera sugentem purgari.

1211. E dietis etiam causa intelligitur, cur generosæ & bona gaudentes valetudine matres ipsæ liberos suos lactare debeant.

1212. In *melle* idem, quod in *lacte* & *butyro* experientia nos edocet. Un-

de magni interest, cuiusmodi herbis insideant apes. Itaque in Sardinia mel est amarum, quia legitur ex absinthio. Imo in Heraclea Pontica venenatum est, quoniam ex aconito colligitur.

1213. Idem patet in *vino*, quod Germanis ob foetorem *Brunzert* aut *Stinkert* appellatur. Provenit enim in vinea, quæ firmo nuper pabulata.

1214. Eadem ratione vapores ascendentis aliquid secum vehunt illius terra, ex qua ascendunt: unde nix in Armenia quandoque rubra cadit.

1215. In *vino Hispanico*, in Gallico item generosiore plus est materiæ oleagineæ: in Rhenano & similibus plus materiæ acris & acidæ. Unde hæc vina minus calida prioribus.

1216. Considera hoc loco, unde arthritis & alii id genus morbi oriantur.



CAPUT XXXVIII.

De Mutatione in Viventibus ob
loci vel temporis diversita-
tem.

1217. **E**x alio loco in aliud translata vi-
ventia sæpe mutationem in
melius vel deterius experiuntur:

1218. Idque cum propter caloris &
frigoris, tum propter humidi & fisci,
qvo aluntur, differentiam.

1219. Juniores interdum paucis heb-
domadis extra proprios lares agentes
plus crescunt, qvam integro anno, si
patria aut consuetâ mensa utantur. Sa-
pe contra alieno viâ minus bene ha-
bent.

1220. Etenim pori corporum viven-
tium ad hæc transmittenda magis dis-
positi qvam ad illa; item hoc loco vel
tempore aliter dispositi, aliter alio.

1221. Sic homines multi hunc illum-
ve aërem ferre non possunt, atque ex
calidioribus regionibꝫ ad nos venientes
bile

intolerabile sibi frigus esse conquerun-
tur.

1222. Primum in mari navigantes
nauseant, præsertim quando libero
non fruuntur aëre. Foetor enim, qvi
in navibus esse solet, & maximè jactatio
corporis ejusmodi effectum habent.

1223. Interim notatu dignum est,
qvod plures morbi, febres in primis
mutato aëre, etiam in magnis maris ja-
ctationibus curantur.

1224. Item, qvod multorum appe-
titus magis viget cùm navigant, qvam
cum in sicco habitant.

1225. Multum in his consuetudo pot-
est. Nec proinde subito mutanda ratio
victus, cui assvereris, præsertim teneris.

1226. Adeo ut etiam tenello infantil-
salubrius sit, affyeto foveri calore, co-
gnatumqve & familiarem potius ma-
tris, qvam alienum & peregrinum nu-
tricis haurire succum.

1227. Herbae exoticæ in hisce regio-
nibus raro easdem vires acquirunt; aut
si acquirant, progressu temporis per-
dunt.

1228. Et saepius transplantata arbor, minus bene crescit, aut fructum ferre cessat.

1229. Similis mutatio contingit, quoties ex alia anni tempestate in aliam, veluti ex hieme in aestatem & contra transitur.

1230. Primum frigus, ut vulgo a-
junt, intolerabile, & repentinus o-
mnis ab uno extremo ad aliud transitus
periculosus.

1231. Primo vere caput nudum si ra-
diis Solis exponas, dolorem percipis:
qvod pori hiberno frigore contradi
particulas materiæ celestis qvæ tunc
apud nos majuscule sunt, omnia per-
meantes non facile admittant.

1232 Vernis noctibus aut etiam die-
bus haud raro frugum & fructuum pri-
mordia frigore corrumpuntur.

1233. Quoties cœlum solito serenius
est, aliquam in nobis hilaritatem senti-
mus: contra tristitiam, ubi nubila tem-
pestas.

1234. Capitis aut aliarum partium dolor ex imminente tempestate saepe à multis percipitur, maxima, si vulneri cuidam cicatrix non bene obducta fuerit.



CAPUT XXXIX.

De Figura Viventium varie ro-
tunda in ipsis aut eorum par-
tibus, fructu, semine.

1235. **A**d figuram Viventium qvod
attinet, cum certam ac de-
terminatam poscant, qva non solum à
non viventibus distingvuntur, sed et-
iam inter se mirum in modum variant,

1235. Non immerito queritur, u-
trum in illa tanta varietate ac dissimi-
litudine commune & simile qvid pos-
sit inveniri? Id enim hoc loco, ubi de
iis, qvæ cunctis viventium generibus
communia sunt, tractamus, dispicien-
dum est.

1237. Respondetur autem, hoc esse commune, quod & ipsæ res Viventes & earum fructus *rotunditatem* aliquam habent.

1238. Non tamen Geometricam, nec unam eandemque omnes, sed multiplice varietate distinctam.

1239. Nempe rotunditas si non est in toto Viventis corpore, saltem est in ejus aliqua parte, vel in fructu quem profert, vel in semine ex quo nascitur.

1240. Rotunditas si non adest omni tempore, adest saltem aliquo. Exempla prebet brassica capitata, lactuca, aliaque id genus, quæ certo demum annis tempore clausa, globosi corporis instar habent.

1241. Existunt & alia, quæ vespertino tempore clausa sphærica evadunt, matutino ac diurno rursus aperta, & latius expansa aliam rotunditatem obtinent.

1242. Præcipue vero duplex in rotunda Viventium figura varietas anno-

tanda venit, quatenus vel in longum protensa, vel in globum redacta est.

1243. Rotunditas oblonga inventur in ramis arborum, brachiis, pedibus, digitis, imo in toto fere animalium corpore, & arborum truncis, caule, stipite, stylo.

1244. Attende in plantarum genere radices, raphanos, siseres, pastinacas, calmos, calamos, arundinem, graminis certam speciem &c.

1245. In animalibus occurunt serpentes, angvillæ, lubrici & vermes oblongi, membrum virile in hominibus, equis &c.

1246. Sphærica figura aut quasi talis cernitur in pomis, pyris, cerasis, prunis, uvis baccis, variis, pisis, aliisque leguminibus, rapis, nucibus, capite humano. &c.

1247. Protensio in longum continuatur in corporibus; quamdiu vis succum recta propellens superat.

1248. At ubi vis hæc succi progre-
dien-

dientis & rotundantis causæ æquales existunt, oritur globositas.

1249. Videtur autem hujusce rotunditatis ac globositatis, saltem in plerisque viventibus, eadem causa esse, quæ rotunditatis in guttis & liqvoribus stillantibus causa cernitur.

1250. Quidamque liqvores tamdiu rotundum oblongum facere videmus, quamdiu vis gravitatis deorsum pelens superat.

1251. Ubi autem vis illa minor est, & causa quædam liqvorem in aere suspensum tenet, virtute ejusdem causæ, quæ in longum protensus ille prius retundebatur, ejusdem gutta sphærica ruditur.

1252. Exemplo sint stiria, & hiberno tempore è tectis dependentes glaciei partes oblongæ & rotundæ.

1253. Quæ in fine acutiores, quemadmodum & arborum rami.

1254. Ac sicuti liqvores illi paulatim in stirias concrescunt: ita rami arborum initio moliores, paulatim indurantur.

1255. Candelæ simili modo rotunda fiant,

fiant, sed parte inferiore crassiores, quia plus ibi, dum intinguntur, accedit materia: cum in stiriis è contrario à parte superiori novus continuo liqvor affuat.

1256. E naribus adhibito pulvere purgante, eadem ratione descendere vides humorem rotundatum, qui in extremitate expe guttam crassorem efficit.

1257. Contemplare id genus plura pingvia & viscosa destillantia, quæ propter tardiorum motum cum tarde crescentibus Viventium corporibus reticius, quam alia celerius agitata, conferre possint.

1258. Quanquam & in aqua res satis evidens est, cœlo præsertim frigido.

1259. Quod autem accuratius in ejusmodi phænomenis examinandis verseris, cave 1. ne fluant liqvores è rotundo foramine vel canali. 2. ne celeriter nimis defluant. 3. ne magna nimis quanitate.

1260. Causam igitur rotunditatis in

in plerisque saltem viventibus eandem esse, quæ in liquidis corporibus, tum ex affectuum, tum è subjectorum & corporis ambientis simili dispositio-ne probatur.

1261. Effectuum similitudo posita est,
1. in globositate gutterum & fructuum plurium 2. in rotunditate oblonga liquidorum, ramorum, &c. 3. in acuminè stiriarum, digitorum, ramorum, spinarum. 4. in superficie quadam r-qvabilitate, quæ asperitati opponitur. 5. in eo quod recta linea progrediuntur liqvores cum descendunt, ut plantæ, dum crescenda ascendunt.

1262. Similis dispositio subjectorum sita est in convenientia liquidorum & mollium. Mollia enim & flexilia principio atatis, quando certam formam induunt, viventium esse corpora jam supra consideravimus.

1263. Si opponas, non adeo molles esse Viventium partes, ut & quæ promte ac liqvores à corporibus ambientibus figurari possint:

1264

1264. Respondeo, hoc eo compensari, quod liqvores illico rotundantur, & quasi in momenro. Atqui viventia longiore temporis tractu, & iteratis innumeris pulsibus figuram similem recipere possunt.

1265. Nam actionum freqventiā, quod unicuique roboris deest, facile suppletur.

1266. Sic asperam habentia superficiem ferramenta solo manuum vel vestium contactu crebriore poliuntur.

1267. Invenitur quoque in eo similitudo, quod materia cœlestis ut in liquidis, ita pariter in viventibus corporibus recta currit quaqueversus.

1268. Atque ita succus ipse, quo viventia nutriuntur, in omnes eorum partes à cœlesti materia propellitur. Quo spectat in animalibus circulatio sanguinis, quæ per totum corpus perpetuo sursum deorsumque peragit.

1269. Similitudo corporis ambientis ista est: 1, quod guttas idem, qui vi-

ven-

ventia corpora eorumque partes, aër ambit. 2. qvod aer ille diversum ut à liqvoribus, ita à viventibus corpus. 3. qvòd secundum partes, utpote fluidus, continuo movetur.

1270. Repete hic qvæ supra de impulsu corporum in externam Viventium superficiem (unde cutis, pellium, corticis origo) diximus: & magis in iis, qvæ nunc de rotunditate eisdem superficie tradimus, confirmaberis.

1271. Qvæ verò causa sit rotunditatis in guttis, repete ex prioribus.

1272. Si quis contradicat iis, qvæ de simili utrobiq; corporis ambientis dispositione protulimus: qvod animantium corpora, item ovain matrum utero, non in aere formentur; vermes quoqve oblongi & rotundi in corpore nostro, vel in terra generentur, in qua etiam rapa, siseres & radices omnes crescunt;

1273. Ei respondemus, 1. etiam in terris aliisque corporibus materiam il-

lam

cœlestem, qvæ dum recta qvaqvaverlam sus pergere nititur, obvia corpora format, ut recto ejus cursui qvām fieri potest minimum obsistant, reperi.

1274. 2. Datur insuper in ipsis corporibus viventibus succus ac liqvor, qui à materia cœlesti inter propulsus & quidem æqualiter in omnes partes ad rotundam figuram efficiendam concurrit.

1275. Qvapropter eandem in Viventibus, saltem plerisque, qvæ est in liqvoribus, rotunditatis causam existere, è dictis inferimus.

1276. Tametsi enim occulta vis naturæ sit amplissima, idemque effectus à plurimis causis diversis produci queat; (ut omnes fatebuntur, qui vel hoc unum cogitabunt, qvod idem genus morbi diversi generis medicamentis sanari possit.)

1277. Similium tamen effectuum potius similes qvām dissimiles, & communium communes causas licet assignare,

dum

dum ratio nulla mentem nostram trahit ad contrarium afferendum.

1278. Rationem autem rotunditati in Viventibus ab ejus figuræ perfectione desumptam, non quidem hinc excludimus; attamen ut nimis generaliter minime sufficere existimamus.



CAPUT XL.

De Plantarum calore, & certorum qvorundam morborum ratione.

1279. H ACTENUS vidimus qvæ omni Viventium generi communia: nunc aliquanto specialius de Plantis agemus.

1280. Ubi primo quidem considerabimus, qvis & unde sit calor, qui in Plantas agit, deinde contemplabimus subjectum quod patitur & movetur.

1281

1281. Nempe causa efficiens, cur vegetentur & crescent Plantæ, est primò calor Solis, qvatenus hic diurno & æstivo tempore tellurem & provenientes ex ea stirpes radiis suis verberat.

1282. Accedit porto, calor ille in Plantas agens proficiscitur interdum à subterraneo vel alio qvoqve igne.

1283. Sic hiberno tempore in cellis nostris alijsye ædium locis calidis plantæ qvædam germinant. Cepas enim in trabibus culinæ suspensas germinare vidimus.

1284. In hordeo madefacto, qvod Maltam vocant, res est liqvida. Ut & in liliis, aliisque floribus, qui in eunte vere vasculo aqua pleno, ut folia citius explicent, domi reperiuntur. Ubi etiam patet, quantum humiditas germinationem promoveat.

1285. Maxime vero in plantis considerandus est ignis ille calidus, & non lucidus, in quo fermentatio consistit.

1286. Talem qvippe ignem plantæ in se-

in semine, bulbis, radicibusque habent, quoniam in cunctis aliquid invenitur, quod respectu telluris, in qua crescunt, fermenti rationem obtinet.

1287. Calor in planta existens sive à Sole sive ab alio igne sit profectus, succum alimentarium per plantæ meatas sursum agit, ut minime sit necesse vim ullam attractricem plantis affigere.

1288. Eodem conductit omnis materia cœlestis, quæ à terra sursum tendens ingente copia in poris cujuscunq; plantæ semper vagatur, & quidem potentius ac celerius die quam nocte, & estate quam hieme movetur.

1289. Hujusmodi caloris & materia cœlestis actione succus non modo ex terra in radicem propellitur;

1290. Sed ulterius etiam in ramos attollitur ad foliorum usque extremitates.

1291. Adde quod calor externus fructus coquit & maturat, attenuat, excusat, rarefacit, &c. de quo supra.

1292

1292. Quo officio ut eo felicius Sol in excoquendis uvis fungi queat, folia viti demuntur, vites quoque in collibus, aut circa parietes & muros, ubi radiorum reflexio, plantantur.

1293. Sic hortulanii in Belgio melonibus, aliisque fructibus, qui majorem calorem ad maturationem requirunt, cistas vitreas imponunt.

1294. Simile fit in iis, quæ ad ignem culinarium assuntur, opposito è regione corpore concavo, unde vis ignis repercutitur.

1295. Calor in plantas per intervala agit, non actione continua, sed interrupta.

1296. Huc enim pertinet quod §.
1298. & seq. docuimus, suum cuique fermento tempus, quo duret, à natura assignatum esse, & quod semel fermentata eodem fermento denuo fermentari nequeant.

1297. Itaque aut alia accedunt, quæ novam fermenti materiam præbeant, ut in paroxysmis febrilibus appareat;

L

1298.

1298. Aut certè temporis intervalum intercurrit, qvo pori nonnihil immutantur, ut sit nocturno vel hiberno frigore.

1299. Atqve hinc pendere videntur distinctiones ramorum & nodi in arboribus; in cornibus item animantium, unde numerus annorum atatis in bestiis qvibusdam vulgo dijudicari solet.

1300. Nam qvod uno die vel anno crescenti arbori adjicitur, distinguitur aliquo modo ab eo, qvod accedit die vel anno sequente.

1301. Qvandoqvidem nox aut hiems interponitur,

1302. Materia qvoqve cœlestis in plantas, & alia terrestria agens pro anni tempore variat,

1303. Et similem in his & illis, in qvæ agit, subjectis dispositionem inventiens, similem utrobiqve operationem exercet,

1304. Proinde mirum non est, si florente vite mutatio qvædam in vino deprehendatur.

1305.

1305. Si qvidem succus in vite, ac vinum in dolio, similiter qvodammodo disposita fuerint.

1306. Pari ratione contagio in aëre serpente corpora viventia simili modo affecta simile patiuntur, alia non item.

1307. Sic pestis aliâs hominum, aliâs bestiarum qvarundam corpora dunat infestat.

1308. Et mutatio sæpenumero in corpore nostro sentitur, qvando proximus consanguineus moritur.

1309. Ex hoc aut simili fundamento pendere qvoqve putem, qvod morbi dantur hereditarii, & qvi integrâ, qvandam familiam infestant.

1310. Morbi item endemii, qvi multis eandem regionem incolentibus sunt communes.

1311. Morbi deniqve epimedii, qvi non nisi stato tempore in regione aliqua sœviunt, uti pestis, de qva diximus.

1312. Eodemqve modo certo Veris L 2 tem-

tempore hoc genus arborum floret, a-
lio aliud.

CAPUT XLI.

De Plantarum germine, & fru-
ctibus.

1313. Nam attendamus, secundum en-
tus quæ proposuimus §. 1271. quid-
nam sit in ipsis plantis, quod actioni
supra declaratæ subiectum est, & paula-
tim ea perficitur.

1314. Hic initio occurrit primordium
plantæ, quod est ramusculus quidam vel
germen, quemadmodum in nucleis
cerasorum, nucum, glandium, pruno-
rum, mespilorum patet.

1315. Similiter in ovo principia gal-
linæ inveniuntur.

1316. Nimirum viventia corpora,
postquam ad justam ætatem pervene-
re, producunt sui simile.

1317.

1317. Idque vel manifeste & aperte,
ut in viviparis apparet; vel magis oc-
culte & latenter, veluti in iis, qvæ o-
va aut semen quodcumque produ-
cunt.

1318. Sicuti autem pullus in ovo de-
litescens incubante & foente gallina
paulatim detegitur & manifestatur: ita
agente calore, & materia cœlesti ho-
mogena congregante, & heteroge-
nea segregante, è semine planta pul-
lulat.

1319. Quamobrem ovum gallinæ, se-
men plantæ, diverso respectu, & prin-
cipiuni est antecedens, & fructus con-
sequens.

1320. Cujusmodi rerum circulus in
Physicis passim à Philosophis animad-
vertitur.

1321. Similitudo inter plantam & e-
ius fructum tum quoque elucet, cum
duriorum duriores, molliorum molles
fructus inveniuntur.

1322. Ita quercus glandes, nux nu-
ces

L 3

ces, castaneus castaneas profert; vitis autem uvas &c.

1323. Qvod tamen non esse perpetuum, alia plantarum fructuum docent exempla.



CAPUT XLII.

De Plantarum poro & succo, &
qvomodo crescant.

1324. **P**ori, qvi in plantis dantur in numeri, & in multis satis patentes conspiciuntur, hunc usum habent, ut facilius per eos qvam si totidem paratos tubulos succus ascendat.

1325. Expeditiorem qvippe esse materiæ fluidæ per ejusmodi vias ascensum, qvam per liberum aëra, alibi docuimus.

1326. Hæc nempe causa est, qvam obrem agri consti magis exhauriuntur & emaciantur iis, qvi inculti jacent.

1327. Unde etiam novale & reqvie-

tus.

tus ager fertilior est restibili. Quidibus fertilioribus agris addere licet eum, qvi effossis fundis cæspitiis preparatur.

1328. Mollities germinis vel plantulae aut surculi recentis isti rei inservit, ut pori promptius dilatari possint.

1329. Qvemadmodum enim panis meatus per ingressum lactis aut vini multum ampliantur: ita succus in plantarum poros impulsus eos extendit.

1330. Atqve ita plantæ crescunt & augmentur, qvoties maiores suorum particulae vel plures accedunt, qvam portis angustioribus capi qveani.

1331. Qyibus autem in plantis portorum latera duriora sunt, eæ aut tardius crescunt, aut crescere etiam desinunt, ut fit in senectute.

1332. Unde liquet, cur vitis, salix, cucurbita, ac similia mollia plantarum corpora velociter crescunt, & ramos suos longè lateqve expandant: querulus autem, mespilus, aliaqve id ge-

nus dura ligna tardius incrementum habeant.

1333. Præterea quando hiberno frigore pori constricti ac stipati sunt, & caloris agitatio parum valet, non mirum est, plantarum germinationem & augmen-
tum impediri.

1334. Sed inqvirendum in præsen-
tia illud est potissimum, qvī fiat, qvod
succus alimentarius in plantis hæret, &
cum partibus earum majorem partem
coalescat.

1335. Non autem ascendat inde in
sublimiorem aerem, vel descendat rur-
sus in terram, & loca inferiora, unde
venit, repeat?

1336. Respondetur, hujus effectus
causa prima est meatus in plantis
certa dispositio.

1337. Judicare enim oportet à trans-
itu alimenti & ascensi continuo fibril-
las & ramulos in poris eminentes sic
esse inclinatos,

1338. Ut succus facile qvidem sur-
sum, non item deorsum ferri possit,
propter asurgentēs ac viam obstruen-
tes

tes ramulorum prominentium, qvas
diximus, extremitates.

1339. Hoc vel inde probari vide-
tur, si cultro vel dolabra utatis in ligno
scindendo vel radendo contra natura-
lem fibrillarum ordinem, majori co-
natū tibi sit opus, ac citius asperam illo-
rum instrumentorū superficiem reddas.

1340. Altera causa est frigus hiber-
num & nocturnum, qvod elevatos æsta-
te & die præcedente succos figit, ulte-
tiorē ascensum impediens.

1341. Ex qvo intelligitur, qvanto-
pere etiam ad plantarum genera-
tionem diei ac noctis, caloris & frigoris
vicissitudo conducat. Confer qvæ de
fontium generatione dicta sunt.

1342. Tertia causa, qvod vis major est
caloris rarefacientis & succū elevantis,
qvām gravitatis, qvā deorsum relabitur.

1343. Adde quartam, qvod per ae-
rē difficilius ascendat succus, qvam per
meatus plantarum, ut ante docuimus.

1344. Ex qvibus omnibus non mo-
do patet, qvare tempore frigidiore
succus ascendere, & planta crescere
nequeat;

1345. Verum etiam, cur nimio astu succus idem uberiore copia in sublimi attollatur, & planta eo destituta exarescat.

1346. Præterea, qvisqvis meatuum in plantis situm, & crescendi modum nunc expositum attendere voluerit, facile agnosceret, cur è lignorum viridium igni appositorum extremitatibus non partib⁹ intermediis aqua exsudet.

1347. Ubi qvidem manifeste deprehenditur, qvmodo ignis non trahat, sed pellat humores, & qvidem in hanc potius qvam illam partem eos propellat.

1348. Ejusmodi succorum distillatio etiam in plantis nondum excisis, vel ex terra evulsis observatur, ex. gr. in vite, cuius ramijusto tardius putati.

1349. Aestate qvidem si præscindatur viridis ramus vitis, non tantum effundit humoris, quantum fundit ramus, qvi sletit hieme, verno tempore ferius præcisus.

1350. Nempe per tubulos, qvorum latera

latera duriora sunt, facilius currit liqvor, qvam per poros corporis, instar spongiæ, mollis.

1351. Qvapropter hieme ceduntur ligna, priusq; succus calore agitatus cufreſe cœperit. Id qvod ad trunci conservationem facit.

1352. Et qvæ ad fabricam expetuntur ligna, ne cariosa fiant, Luna decrecente amputantur, qvia tunc minus sunt humida.

1353. Huc spectat gummi & resina-
rum ex arboribus distillatio.

1354. E meatibus raptorum, pomorum, & id genus aliorum humor interdum tanq; è spongia qvadam ex-
primitur.

1355. Excocti pyrorum, pomorum, terasorum liqvores diutius durant, qvoniam coctione multum humiditas, qvæ putredinis mater est, absunitur.

1356. Aqva rosacea non tam cito putrescit, vel mucescit si panniculo laneo supposito in vas decurrat:

1357. Qvia ramosæ particulæ, qvæ

cohærendo inducere possent corruptio-
nem, in superficie panni hærent.

1358. In planta excisa, dum incipit
exsiccari, meatuum illorum plurimi,
sensibili etiam modo angustantur, &
totum ejus corpus contrahitur.

1359. Adeo ut pori illi plantarum a-
qvæ loco aërem alicubi contineant.

1360. Aut certè succi, priùs mate-
riam secundi elementi circa se haben-
tes, jam in poris angustioribus non ni-
si materia primi, qvæ subtilior est, cin-
gi possunt.

1361. Qvæ causa est non solum, cur
scenum recens inclusum incalescat.

1362. Verum etiam, cur in stirpes
emortuas & exsiccatas succus alimen-
tarioris impelli nequeat, cùm forma
pororum sic immutata.

CA.

CAPUT XLIII.

De Plantarum varietate.

1363. **H**inc ad plantarum diversitatem
contemplandam progredi li-
cet.

1364. Pendet ea primo quidem à ca-
loris diversitate, qui variat pro varie-
tate regionum.

1365. Et quod fermentum idoneum
in planta est hujus soli respectu, non
eodem modo se habet respectu soli al-
terius.

1366. Deinde varietas illa pendet
à diversitate succi, qui in aliis terris
alius.

1367. Altera vel utraqve etiam, aut
si mavis triplex illa causa datur, cur non
omnis ferat omnia tellus.

1368. Adhæc à pororum in plantis
diversa dispositione multiplex earum
varietas oritur.

1369. Sic vitis & ligna abiegnæ Ebe-
nis

L 7

nis & Brasiliensibus poros habent la-
xiores.

1370. Qvæ res efficit, ut illa qvidem
flectantur, hæc autem frangantur fa-
cilius. Vide de Vitro dicta.

1371. Unde patet, qvomodo pluvia
eadem diversarum plantarum nutri-
tioni inserviat.

1372. Nam propter meatus dissimi-
litudinem succus in plantas ascendens
aliter in his, aliter in aliis formatur.

1373. Adde qvod succus ex hac ter-
ræ parte assurgens alia secum corpo-
scula vehit, aliaqve ex parte terræ di-
versa.

1374. Sic idem cibus & potus, idem
medicamentum in cunctis animalibus
non semper eundem fortitum effectum:
qvia aliter in his, aliter in illis dispo-
nitur, figuratur, movetur, alii atqve
alii ibi prius existenti materiæ jungi-
tur & miscetur.

1375. Qvñ imò ne in eodem qvi-
dem homine idem eundem perpetuo
effectum producit: ex gr. vinum qvod
mihi

mihi jam prodest, alio tempore noce-
bit. Medicamentum qvod jam alvum
movet septies, postea sèpius aut minus
movebit.

1376. Causa est, qvia fermentum
ventriculi atqve inde pendentia alia ob
diversitatem ciborum, potuum, medi-
camentorum, aeris, animi affectuum,
&c. perfacile mutari, pauloqve melio-
ra vel deteriora reddi possunt.

1377. Qvod ita dictum de homine
est, in bestiis minus locum invenit,
qyoniam hætam diversa non assumunt,
nec tot perturbationum sunt obnoxiae
motibus.

1378. Unde velut in transuersu col-
liges, qvanta sit incertitudo Medicinæ,
humani præsertim generis
intuitu.

CAPUT XLIV.

De Surculorum insitione, & eorum cum trunko, plantarum cum terra conditione.

1379. **S**ed ad plantas ut revertamur, hoc etiam ex ante demonstratis apertum est, cur pro diversitate ramorum, qui eidem inseruntur trunko, diversi fructus producantur.

1380. At cum diversarum arborum pori sibi non respondent, quæret fortassis aliquis, quomodo diverso trunko diversa arboris ramus sic inseri possit, si succus è trunko in ramum ascendat?

1381. Resp. 1. cum pori in planta quilibet sint longe plurimi, satis est ad succum è trunko in ramum deducendum, si multi eorum quodammodo sibi respondeant, licet alii multi non congruant.

1382. Sic pori vitri unius poris alterius non quidem ubique respondent, & tamen per diversa vitra lumen transmittitur.

1383.

1383. Resp. 2. Vix etiam ramum insitum cum trunko ita coalescere unquam, uti congenitæ ejusdem rami partes inter se cohærent.

1384. Observatum quippe in annosa arbore, vehementiore vento partem olim insitam à trunko suo avulsam fuisse, quæ per multos annos omnino coalusse videbatur. Qvod minus firmæ cohærentia signum est.

1385. Resp. 3. Ipsi quoque telluris porimeatis arboris non prorsus consentiunt. Et tamen succus inde in arborem ascendit.

1386. Quæ comparatio quidem huic loco minime aliena putanda est, quia probabile, ramum inditum progressu temporis in truncum aliun, ceu in terram quandam, radices qualicunque modo agere.

1387. Quemadmodum cornua sic in animalium capitibus plantata esse videntur, ut nervis, venis, & arteriis tantquam radicibus adhærent.

1388. Resp. 4. Dum succum è trunci poris

poris in poros insiti rami transit, facile aliquantillum à via recta declinare possit.

1389. Ac denique s. alimentum in corpore vivente paulatim sibi ipsi vias certas parare & adaptare potest. Qvz consideratio in his aliisqve antea traditis locum habet.

1390. E superioribus intelligitur fundamentum physicum illius Jure-consultorum sententiaz, qvod planta in alieno Solo posita ejus maneat cuius fuerat, usqve dum radices egerit: tūm enim incipere illam ejus esse, cuius est solum.

1391. Unde ajunt, credibile est, plantam alio terræ alimento alias factam: qvod est consentaneum iis, qz diximus.

1392. Nempe radicum immisione fit, ut plantæ sic cum terra coalescant, ut jam earum non sit separatum à fundo corpus.

1393. Sic fœtus in utero, qvam diu eodem

eadem cibo & potu, qvo mater, fruitur, unum cum illa censetur.

1394. Nec lactens animal à lactante tam diversum est, qvam si alio viatu ueteretur.

1395. Sed magis huc spectat exemplum surculi, qvi cum trunco, cui infertur, coalescit: de qvo in præsentia agitur.

1396. Atqve ita rami pars viva ac virens discernitur à mortua & exsiccata, minorem cum ea habens unitatem. Simile judica de membro animalis, qvod exaruit.

1397. Coaluisse autem & radices in terra egisse plantam ex eo cognoscitur, qvod vivit adhuc & vegetatur post id tempus, qvo emori & exarescere poterat.

1398. Certius idem ex eo discitur, si qvid ex se emitat, aut fructum ferat.

1399. Qva verò ratione plantam vel surculum recentem tractare oporteat, ut cum terra vel trunco facilius coalescat, è superioribus colligitur.

1400. Danda nimis opera est, ne concutiatur surculus, sed infixus hæreat, dum succus ē tellure vel truncō influat.

1401. Avulsus non diu retinendus, sed oxyus inferendus.

1402. Si radix tota vel pars ejus simul cum planta transferatur, facilius hæc in aliena terra germinabit.

1403. Item, si portio terræ prioris, qvæ proxime juncta fuit arbori, cum ipsa deferatur.

1404. In ea quoque terra surculi illius arboris inspicati conservantur, & incorrupti ad aliam regionem transportantur.

1405. Præterea surculum accipies longiorem, qvem truncō dum inferis, ab utraqve parte præscindere possis, si forte extremitate cœperit arescere.

1406. Tempus anni oportunum observabis.

1407. Partes rami eundem ordinem situm, qvem prius habuerunt retineant.

maglio ordinemq[ue] 1408.

.004

1408. Quid autem, si ramus arboris deorsum inclinatus alteri truncō immittatur, qvem sugere vulgo his oitis dicunt, ut postea qvam coaluit amputetur!

1409. Resp. i. Meatus illius rami, qvippe mollis & flexilis, possunt paulatim aliter disponi.

1410. 2. Potest initio ex ramo ad truncum pervenire aliquis succus, & vice versa ex truncō ad ramum per meatus diversos, vel etiam diverso tempore per eosdem.

1411. Adeo ut mutuas sibi invicem vires qvodammodo submittant, donec latiss coaluerint.



CAPUT XLV.

De Plantarum situ, loco in terra, muris, & sub nive.

1412. **H**inc ad situm plantarum & ordinem, qvem partes earum ad

ad locum habent, examinandum per-
gimus.

1413. Sic autem inversa planta cum
Homine comparatur.

1414. Os enim nobis superne est:
stirpes radicem, quæ otis vicem præ-
stat, inferne habent:

1415. Deinde plantis rami sursum,
nobis brachia & crura deorsum spe-
ctant. Aspice arbustulas in sepibus in-
flexas & à situ naturali detortas, unde
novi rami sursum tendentes pullulant.

1416. Cur autem rami arborum sur-
sum crescant, patet ex iis, quæ de ali-
menti in poros impulsu & caloris actio-
ne diximus. A motu enim figura & hu-
mus pendent.

1417. Hinc rami deorsum inflexi
(nisi jam in illo situ nimis obriguerint,
poris aliquantum immutatis) externa
vi cessante, se rufus in altum erigunt.

1418. Quia non modo succus ali-
mentarius, verum etiam cœlestis o-
mnis materia, quæ succum defert, sur-
sum tendit.

1419

1419. Eodem modo quo flumen, si
quod impedimentum objiciatur, quo
minus commode solitum persequatur
cursum, impetum facere non cessat, do-
nec illud loco pepulerit.

1420. Ligna tamen molliora pau-
latim etiam huc illuc flecti ac duci pos-
sunt, & alium quemcunque situm.
recipere, ut patet in vite, tilia, silice,
&c.

1421. Qvemadmodum & fluvius
progressu temporis per aliam viam,
quam prius secutus fuit, derivari pot-
est.

1422. Causæ vero quamobrem plan-
ta qvædam, vel earum rami deorsum
inclinantur, aut saltē non assurgant
in altum, sunt quæ seqvuntur:

1423. 1. Vi gravitatis deorsum infle-
cuntur rami pomis onerati.

1424. 2. Vi Solis aperiente & premen-
te extremitates furculorum, & folia
deorsum pelluntur.

1425. 3. Multæ plantæ molliores in
longi-

longitudinem excrescentes, ob defec-
tum firmitatis, erigere sese nequeunt:
sed aut humili repunt, aut fulcris qui-
busdam subnixæ sursum crescunt.

1426. Exempla videmus in hebe-
ra, vite, cucurbitis, pisis, fabis.

1427. Caules tamen per terræ pla-
nitiem expansos succus non destituit,
ut pote q̄ vi facilius per certos meatus,
q̄am per liberum aera progreditur.

1428. Ad situm & locum plantarum
hoc etiam pertinet, q̄od *in via calcata*
non solent provenire.

1429. Nam perpetuus & fortis im-
pulsus facit, ut molles surculi in su-
perficie telluris assurgere non vale-
ant.

1430. Simili de causa in vela manus
& planta pedis non crescunt pili.

1431. Et q̄od assiduo teritur usu fer-
rum, rubigine non obducitur.

1432. Gramen etiam, in quo sepius
diutiusq̄e jaces aut sedes, non marce-
scit.

1433. Mitiora verò pyra & altior
arbor

arbor esse consuevit, ubi via circa arbo-
rem calcata est, q̄am ubi gramen cir-
cum circa crescit.

1434. Tunc enim omnis in solam ar-
borem succus ascendit, cujus aias
quantitatem magnam herbæ recipi-
tent.

1435. Sic rami extra vagantes & sto-
lones amputari solent, ut primaria ar-
bor eò crescat latius.

1436. Et stirpes q̄ò rariores planta-
tæ sunt, eò singulæ crassiores vel altio-
res evadunt. Simile judica de rapis,
fiscibus, &c.

1437. Qvandoq̄idem igitur nihil
in terra calcata, nihil in lapidibus pro-
venit: *quo pacto in muris plantæ germi-*
nent, interrogare liceat.

1438. Resp. Semina qvidem eò à
vento vel avibus deferri possunt.

1439. Terreni aliquid mollioris in
muri poris, fissuris & rimis latere pot-
est.

1440. Atq̄ve in ejusmodi locis plu-
via non difficulter sistitur.

1441. Qvæ & ipsa cum oriatur è vaporibus (qui ex heterogeneis variis particulis constant,) plurium rerum semina secum vehit. Unde & bestiolæ certæ nascuntur in aqua pluvia, diutiusculæ cisternis asservata.

1442. Accedit Solis calefacientis virtus, magis etiam in muris quam locis terræ humilioribus efficax.

1443. Felicius autem in muris vestitis & à consortio hominum remotis quid crescit, quam in novis, & circa quos homines versantur.

1444. Qvoniam temporis diutinitate per operationem tum Solis, qui eos radiis suis verberat, tum pluvia, quam superficiem eorum emollit, magis porosi evadunt.

1445. Et quando aves in ejusmodi muris aut nidulantes, aut certè sèpius confidentes, facies alvi excernunt, illæ non minus ibi ad generationem plantarum faciunt, quam aliorum animalium stercore ad agrorum fertilitatem.

1446. Difficilius quid crescit in tegulis,

gulis, quia pluvialis aqua majore impetu inde descendens non adharet, & ipsæ propter concavitatem suam citius à radiis solaribus exsiccantur.

1447. Ita se habet locus plantarum à parte inferiore: à parte autem superiori vel aere, vel aqua, vel nive teguntur.

1448. Sata nive tecta foventur tum humiditate, tum calore, quæ duo ad vitam singulari modo pertinere judicantur.

1449. Humoris aliquid à nive ad tellurem pervenire nemo dubitet.

1450. Telluri calorem inesse patet, quia fumat hiberno effossa tempore.

1451. Istum autem terræ calorem estuudit nix, exhalationes inde calidas assurgere non permittens.

1452. Et arcens exteriores causas frigoris induentes, earum tardiores motus sistendo & sibi adjungendo.

1453. Haud secus ac lana corpus nostrum calefacit, dum externorum agentium motus in se recipit.

1454. Confert ad effectum illum
crusta nivis exterior, qvam à corporum
impingentium pulsu formari supra do-
cuimus.



CAPUT XLVI.

De Plantarum coloribus.

1455. **A**Dhæc plantæ colore, sapore
& odore maximè se vulgo
commendant.

1456. Colorem respexit Christus Io.
qvens de liliis agri Matt. 6.

1457. Odorem attendunt pictores
olfactui florem assignantes.

1458. Sapore delectantur, qvi her-
bis vescuntur.

1459. Complures harum sensilium
qualitatem in appetendo fructu verito
prima parens considerasse videtur.
Gen. 3.

1460. Præter extremos colores, al-
bum

bum & nigrum, in plantis reperiuntur
intermedii, flavus, ruber, & cœru-
letus.

1461. Qvibus coloribus *quinq[ue] simplicibus* accedunt plures *compositi*.

1462. Et hi quidem non raro ab i-
pis plantis aut floribus certis denomi-
nationem sortiuntur.

1463. Uti color *rosens* (vulgo incar-
natus) qvi ex albo & rubro componi-
tur.

1464. Violaceus (*hyacinthinus*) qvi
ex multo cœruleo & pauco rubro.

1465. Herbaceus, qvi è multo fla-
vo & pauco cœruleo.

1466. In qvibus non solum com-
mixtio colorum, verum etiam diversa
mixtorum proportio spectatur.

1467. Sed maxime communis & uni-
versalis plantarum color est viridis,
oculis nostris gratissimus. (Unde
qvod Lat. *viridarium* Germ. *Lusigarten*.)

1468. Utpote compositus ex duo-
bus

bus mediis, flavo, qvi albo proximus,
& cæruleo, qvi proximus nigro.

1469. Hujusmodi viridis coloris
compositio è seqventibus elucet indi-
ciis.

1470. Objectum visibile cæruleo co-
lore tinctum si per vitrum flavum in-
spiciatur, viride apparet.

1471. In opposito item pariete viri-
dis color repræsentatur, si per duo vi-
tra, qvorum alterum flavum, alterum
cæruleum sit, radius luminosus tran-
seat.

1472. Similem compositionem ex-
periri liceat, si liqvorem flavum cæ-
ruleo miscueris.

1473. A colorum diversitate petun-
tur variæ plantarum, tum in eodem
tum in diverso genere distinctiones.

1474. Considera rosas, lilia, violas,
populum.

1475. Etiam eodem numero folia,
vel fructus diverso tempore diversos
colores recipiunt.

E M

1476.

1476. Haud secus atqve capilli ca-
pitis nostri,

1477. Qvæ omnia colorum natu-
ram, in varia luminis reflexione, pro
diversa superficie corporum visibilium
dispositione consistentem demon-
strant.



CAPUT XLVII.

De Plantarum Saporibus.

1478. **S**aporum natura eorum, qvi in
sarborum fructibüs percipiuntur,
exemplo rite declarari potest.

1479. Fructus qvippe dum Solis ca-
lore, siccum cum humido digerente
& permisceente paulatim ad maturita-
tem perducuntur, simul etiam sapore
alios atqve alios, pro diverso matura-
tionis gradu, recipiunt.

1480. Primò qvidem acerbum, de-
inde

M 4

inde austерum, tum acidum, tandem dulcem; & si excedens calor ulterius in eosdem agat, etiam amarum & acrem.

1481. Acerbus igitur gustu deprehenditur in fructibus immaturis, ut & in prunis silvestribus, qvibus lingua contrahitur atqve exasperatur.

1482. Acris in pipere, Zingibere, semine sinapi, cæpis, &c. qvi lingvam pungit ac dividit, cum sensu caloris dicitantur..

1483. Dulcis in tritico & alijs, qvibus Lingva quasi oblititur, & exasperata ejus partes æquantur.

1484. Ad hunc saporem etiam referuntur is, qvip pinguis appellatur, cuiusmodi est in oleo.

1485. Acidum est in acetoso & insimilibus qvibus lingua pungitur ac dividitur, ut ab acribus, at cum sensu frigoris constringentis.

1486. Amarus in absinthio, aloë &c. qvibus lingva detergitur & siccatur.

1487. Et hi qvidem qvingue sunt sapo-

sapores simplices, è qvibus extremi acerbus & acris, intermedii dulcis, acidus & amarus.

1488. Ex illis componuntur sapores alii, veluti *salsus* ex acri & amaro; *auferus* ex acido & acerbo; *vinosus* ex acri, dulci & acido.

1489. Intelligitur è superioribus 1. sapores inde oriri, qvod calor frigore varie temperatus siccum cum humido temperat & miscet.

1490. Qvod idem artificiali coctione probatur in carnibus, qvæ elixatae vel assatae saporem mutant.

1491. Ita mel, qvod è prædominante sapore dulce appellatur, quantumvis & acre sit, nimia coctione amarescit.

1492. Intelligitur 2. qvem in diversis saporibus introducendis ordinem natura servet.

1493. Ex qvo ordine porrò constat, dulcem saporem amaro oppositum non extreum esse, ut multi putant, sed intermedium.

1494. Qvod vel ipsa ejus levitas,

qua sensum delectat, apertè evincit.
1495. Eam namqve mediae potius
qualitati, quam extremæ convenire,
exemplo viriditatis ante cognovimus.



CAPUT XLVIII.

De Plantarum odoribus.

1496. **O**dores iisdem fere modis ge-
nerantur ac distinguuntur
iisdemque nominibus appellantur,
quibus sapores.

1497. Differentia tamen inter eos
hæc intercedit, quod odor in partibus
ficcis & tenuibus, sapor in crassiori-
bus & humidioribus præcipue con-
sistit.

1498. Ad convenientiam pertinet
quod omne fere odoratum etiam sapi-
dum est, licet non contra.

1499. Imò quod corpus odorem sa-

pori analogum plerumqve habet,
quamvis non semper.

1500. Nam rosa & myrrha saporem
quidem amarum & ingratum, odorem
vero dulcem obtinent.

1501. Nempe sapor potissimum par-
tibus inest crassioribus, quæ nullum
odorem spirant: tenuiores autem & odo-
ratae partes saporem quidem odori si-
milem habent, sed qui à crassarum par-
tium sapore superatur atqve obtundi-
tur.

1502. Subtiliores atqve vividiores
odoratorum corporum particulas inde
licet agnoscere, quod creta, ossa com-
busta, aliaque insipida odore alterius,
cui adjacent aut miscentur vel tantil-
lum, sic imprægnari queunt, ut latè
spirent; ut in moscho patet.

1503. Flores non tam grati odoris,
si proximus sis, quam si pauxillum di-
stes.

1504. Qvia in propinqvo sunt hali-
tus crassiores herbæ atqve ipsius etiam

M 6 terræ

terræ, qvî non longe avolant, uti subtiliores ac tenuiores.

1505. Vel potius, qvia florū halitus, si pauxillum distes, non tanta copia intrant nares, ut ultra modum nervos odorarios moveant.

1506. Ita enim parum steroris Zibethæ bene olet: sin multum ejus accipias, aut thecæ, cui inclusum est, nares prope admoveas, fœtet. Qvod idem in pluribus aliis balsamis experientia confirmat.

1507. Qvoties tempestas valde calida est, herbarum florūque odores minùs percipiuntur, nisi fervor mitigetur, ut fit tempore matutino ac vespertino, item cadente pluvia.

1508. Causam ex iis, qvæ in praecedentibus dicta fuere, petere liceat.

1509. Unde etiam patet, cur tempore valde frigido odores non percipiuntur.

1510. Eundem effectum habet nimia tum siccitas, tum humiditas. Sic terra diurno æstu torrida nullum odorem

rem spirat, nisi compluatur. Rursus odorem diuturnâ pluviâ amittit.

1511. Interim hoc verum manet, in odore calidum & siccum prædominari.

1512. Hinc piper, caryophillum, & alia aromata, cum siccâ valde & calida sint, valde etiam odorata.

1513. Inqve Syria & Arabia plantarum odoratarum copia major; 1. Reg. 10, 10. Matt. 2, 11. qvia loca sicciora.

1514. Et odorata magis olent, ubi caleficeris, ut patet in aqua rosarum stillaticia, &c.



CAPUT XLIX.

De Morte plantarum.

1515. **H**Astenusde plantarum colore, sapore, odore, calore, frigore, humiditate, siccitate pro epitomes nostra ratione sat multa protulisse videmur.

1516. Inter qualitates earum sensibles

biles sonum quis restare putet: sed is in aere potius & metallis, quam plan-
tis considerari meretur.

1517. Quare autem viva ac viridia
ligna obtusiorem habeant sonum, quam
mortua & exsiccata, expositum fuit su-
perius.

1518. De morte igitur plantarum ali-
quid subnectamus, quæ ipsis, eodem
sensu quo vita, à multis tribui solet.

1519. Cur plantæ ex terra evulsæ, item
rami ab arbore abscessi, dum ex
loco in locum transferuntur, non statim
moriantur, quærere licet.

1520. Resp. Succus in illis aliquan-
tis perfluere pergit, neque pori tam
citò mutantur. Hinc ligna vere am-
putata atque in terra jacentia sæpe ali-
quamdiu germinare pergit.

1521. Animal similiter per aliquot
dies sine cibo & potu extrinsecus aliun-
to vitam sustentare valet.

1522. An hieme quoque vivant
plantæ, quando neque nutritur & cre-
scunt,

scunt, neque generant, quæstio potius
de nomine quam de re esse videtur.

1523. Si affirmes, muscas quoque
hiberno tempore vivere statuas, ne-
cessè est, quod eadem utrobius ratio,
nisi quod in musca sensum illum & mo-
tum, quem præter vegetationem in a-
nimalibus consideramus, cessare magis
perspicue videamus.


1524. Resp. Vivere potius potentia,
quam actu, ita tamen, ut non censean-
tur prorsus emortuæ, quemadmodum
illæ, quæ æstate æquæ ac hieme tales
existunt. Ponimus enim dispositionem
corpori viventi necessariam hieme per-
manere, secus ac sit in iis, quæ ex-
auerunt.

1525. Confer distinctionem inter
id quod potentia calidum, uti vinum, &
quod actu calidum, ut ignis.

1526. At succum etiam hieme in
multis plantis apud nos quodammodo
interdum commoveri, negari non po-
test.

1527. Tandem observa, quemadmo-
dum

dum alibi inter species contrarias media inveniuntur; ita inter plantas & Animalia existere Zophyta seu Plantanimalia, ut arbor pudica quæ vocatur. At nunc ad Animalium theoriam procediamur.



CAPUT L.

De Animali.

1528. IN Animali non modò vitam, qvemadmodum in Planta, verum etiam sensum & motum considerare solemus.

1529. Incipiamus à vita & calore, sicuti in plantis fecimus, ut qvomodo reliqua inde sequantur videamus.

1530. Datur autem calor continuus, qvamdiu vivunt, in cordibus animalium, qvi species est ignis tantum calidi-

1531. Inde Cor inter omnia animalia mem-

membra primum vivens & ultimum moriens appellatur.

1532. Istum calorem sangvis venari nutrit, ex alimentorum succis proveniens.

1533. Estqve is ignis principium corporale omnium, qvi in membris animalium inveniuntur, motuum, sive ad vitam, sive ad sensum, sive deniqve ad motum specialiter in animalibus ita dictum referantur.

1534. Primus illius effodus est dilatare sanguinem, qvo cavitates cordis repletæ sunt.

1535. Sicuti cunctis liqvoribus accedit, qvoties guttatim in valde calidum vas stillant.

1536. Hinc majorem locum sangvis exigens cum impetu ex corde egreditur. Confer exemplum Æolipylæ.

1537. Ac statim novus sangvis cor ingressus ibi rarefit eodem modo qvo præcedens.

1538. In qvo solo pulsus cordis & arteriarum consistit.

1539.

1539. Qui pulsus reiteratur toties, quoties novus sanguis cor ingreditur.

1540. Hoc quoque solum est quod sanguini motum dat atque efficit, ut inde sinenter ac citissime in omnes arterias & venas fluat.

1541. Quia ratione calorem, quem sibi in corde comparat, ad reliquias corporis partes defert.

1542. Quamvis enim cor ardore serum candens æqvaret, non sufficeret tamen ad manus ac pedes adeo ac sensimus calefaciendum, nisi continuò illud novum sanguinem mitteret.

1543. Considera exemplum simile thermarum in terra.

1544. Denique eadem ratione sanguis aliarū partium *nutritioni* inservit, quatenus aliquæ ejus partes, separatis excrementis, subsistunt in membris ad quæ accedunt.

1545. At subtiliores ac celeriores omnes partes sanguinis, quas calor in corde rarefecit, inde sinenter & maxima copia cerebri cavitates ingredientur.

1546.

1546. Et hæc ibi ab aliis sanguinis partibus crassioribus separatae spiritus animales componunt.

1547. Qvos instar vaporis tenuissime & liquore rarefacto ascendentis conciperelicit.

1548. Spiritus è cerebro in nervos & musculos penetrando corpus movet tot ac tam diversis modis, quod moveri potest.

1549. [Considera, quod molæ à vento vel aqua similem ferè in modum agitantur.]

1550. Hinc est, quod animalium quorundam capita, paulò post quam absissa fuerunt, adiutum moveri ac terra mordere videamus.

1551. Causæ verò quæ efficiunt, ut spiritus non semper fluant eodem modo ex cerebro in musculos, & saepius plures ad hos, quam ad illos veniant, in corpore animalis duæ sunt.

1552. Prior causa est inæqualis ipsorum spirituum & partium, ex quibus constant, agitatio.

1553. Quæ in æqualitas provenit vel à di-

à diversis dispositionibus cordis, jecoris, stomachi, lienis, aliarumve partium, qvæ ad spirituum productionem aliquid conferunt;

1554. Vel à diversis materiis, ex quibus spiritus sunt compositi.

1555. Sic videmus in hominibus ebriis vapores vini citissime sanguinem ingressos ex corde in cerebrum ascendere, ubi in spiritus convertuntur, qui fortiores ac copiosiores cùm sint aliis ibi discurrere solitis, corpus plurimis miris modis commovere possunt.

1556. Posterior causa consistit in varietate motuum, qui excitantur in organis sensuum per ipsorum objecta.

1557. Qvam externorum objectorum actionem ut intelligas, tria in nervis sensuum instrumentis considerabis.

1558. Primo eorum *medullam* sive *interiorē substantiam*, qvæ se extendit ad instar tenuium filamentorum à cerebro, unde originem suam habet, usque ad extremitates membrorum, qvibus hæc filaments innectuntur.

1559.

1559. Deinde *pelliculas*, qvæ filaments circumdant, & qvæ cum sint continuæ cum illis, qvæ cerebrum involvunt, parvos tubos componunt, qvibus hæc tenuia filaments includuntur.

1560. Denique *spiritus animales*, qui cùm ferantur per hos ipsos tubos à cerebro usque ad musculos, efficiunt, ut hæc filaments planè libera maneant, & tali modo extensa, ut vel minima res, qvæ movet partem eam corporis, cuius extremitati aliquod eorum innectitur, mouere faciat simul partem cerebri, ex qua venit.

1561. Sicuti extrema funiculi distentæ parte tracta simul alia ei opposita movetur.

1562. Ita sonus, odor, dolor, fames, ac generaliter omnia objecta tam sensuum externorum, qvam appetitum internorum, localem in nervis motum excitant, qui per ipsos ad cerebrum transit.

1563. Qva ratione, etiam absque mentis

mentis cogitantis opera possunt efficerre, ut spiritus versus hos potius quam illos musculos current, atque ita membra moveant.

1564. Ex gr. si quis cito extenderit machinam in oculos nostros tanquam nos verberaturus, quamvis sciamus cum nobis amicum, & non nisi joco id facere, abstenturumque ab omni male nobis inferendo, vix tamen ab illis claudendis nos cohibere possumus.

1565. Quo exemplo ostenditur, oculos tunc non claudi animæ rationalis imperio, cum id fiat contra voluntatem nostram, quæ sola aut saltem præcipua ejus actio est;

1566. Sed quod machina nostri corporis ita composita sit, ut motus illius manus ad oculos nostros, excitet alium motum in nostro cerebro, qui spiritus animales deducit in illos masculos, qui palpebras dirimunt.

1567. Ita plurimi dantur in nobis motus, quinullo pacto à mente pendent, ut pulsus cordis, ciborum coctio, nutritio,

nutritio, convulsiones, respiratio dormientium, atque etiam in vigilantibus ambulatio, cantio & similia, cum fiunt animo non advertente.

1568. Cumque ex alto incidentes manus in terram præmittimus, capitis tuendi causâ, nullo id rationis consilio facimus, nisi forte rarissimè; Sed tantum, quia visio impendentis casus ad cerebrum usque pertingens spiritus animales in nervos mittit, eo modo quo necesse est hunc motum vel mente invita est tanquam in machina producendum.

1569. Et quoniam hæc in nobis ipsis experimur, non est quod tantopere miremur, si lumen è lupi corpore in ovis oculos reflexum eandem vim habeat ad motum fugæ in ipsa excitandum. Atque ita de aliis.

CAPUT LI.

De Animante rationis
experte.

1570. Sic appareat, qvomodo bestia.
rum actiones per solam spiri-
tuum vim & membrorum conforma-
tionem explicari possint.

1571. Sed obstat huic sententiae in-
euntis etatis præjudicata & valde in
nobis radicata opinio, in eo consistens
qvod

1572. Videmus pleraque bestiarum
membra figura externa & motibus
nostris non multum differre,

1573. Unicumque in nobis creden-
tes istorum motuum principium, Ani-
mam, qvæ simul cogitet, simul corpus
moveat;

1574. Non dubitavimus, qvin ali-
qva talis anima in bestiis qvoque repre-
tiatur.

1575. Sed observandum primò est,
eodem

eodem argumento infantes pupis suis
cognitionem & intellectum affingere,
qvam tamen opinionem falsam esse ne-
mo adultus ambigat.

1576. Tum distingvenda sunt duo
valde diversa in nobis principia, alte-
rum mechanicum & corporeum, alte-
rum incorporeum & spirituale. (Et
modo demonstratum est, qvomodo à
solo principio mechano animalium
actiones proficiuntur.)

1577. Ad qvæ principia facilius di-
stingvenda duæ, qvæ seqvuntur, con-
ducunt regulæ:

1578. Prior ista est: Omne id qvod
experimur esse in nobis, & qvod vide-
mus etiam posse inesse corporibus pla-
nè inanimatis, & qvidem in gradu ex-
cellentiore, id soli nostro corpori tri-
buendum:

1579. Cujusmodi res sunt motus &
calor, qvæ magis in flamma, quantum
ullo membrorum nostrorum inveniu-
tur.

1580. Posterior hæc est: contrà, id
N omne

omne quod nobis inest, & quod nullo modo concipimus posse corpori alicui convenire, nostræ animæ tribui debere.

1581. Ut cogitare, sive intelligere & velle.

1582. Itaque cum omnia cadavera motus ac proinde caloris deprehendantur expertia, credi non debet, ut vulgo creditur, absentiam animæ causam esse, cur ille motus & calor cessent.

1583. Quasi ab anima rationali presentे hæc producta fuissent, aut revera produci possent;

1584. Sed è contrario cogitandum, animam cum morimur non discedere, nisi quod calor ille cessat, & organa, quæ inserviunt motibus corporis, corumpuntur.

1585. Ut igitur hunc errorem evitemus, consideremus mortem nunquam accidere vitio animæ, at solummodo quod quædam ex principalibus partibus corporis corruptantur.

1586. Et judicemus corpus homini-

nis & animalis cuiusque viventis differre à corpore mortui, quantum horologium rectè dispositum atque in se habens principium corporale motuum, quorum gratiâ elaboratum est, differt ab eodem horologio fracto, in quo principium motus agere cessat.

1587. Quæ comparatio ut è minus paradoxa videatur, considerandum est, quam varii motus in automatis humana industria fabricatis edi possint, ope quarundam rotularum, aliorumque instrumentorum.

1588. Quæ numero sunt paucissima, si conferantur cum multitudine fere infinita ossium, muscularum, nervorum, arteriarum, venarum, aliarumque partium, quæ in corpore cuiuslibet animalis reperiuntur.

1589. Corporis igitur animalis machinamentum inspicierendum est tanquam automatum quoddam manibus Dei factum, quod infinites melius sit ordinatum, motusque in se admirabi-

liores habeat, qvām ulla qvæ arte humana fabricari possint.

1590. Eqvidem cūm ars, qvæ tamen naturæ, ut perfectioris agentis imitatrix tantum est, ejusmodi automata fabricare queat, qvibus absq; ulla cogitatione motus existit.

1591. Si qvis neget, Deum automata artefactis longè præstantiora in natura producere posse, is parum attendit, qvæ supra annotavimus.

1592. Cumq; mens & corpus ad duo rerum genera omnino contraria pertineant, ac nulla inter animum cogitantem & organa corporea naturalis connexio deprehendatur,

1593. Mirandum qvidem est, qvmodo istæ tam diversæ naturæ conjungi potuerint in Homine: at qvomodo revera sejunctæ sint in Bestia, admirandi causam non habet.

1594. Atq; i è contrario naturalis & omnino necessaria inter mentem cogitantem & immortalitatem connexio intelligitur.

1595.

1595. Nam ut corpus omne, qvippe partes habens, dividuum est; ita mens omnis, utpote partium expers, individua.

1596. Unde sequitur, eum qvi mentem cogitantem belis attribuit, eisdem immortalem seu corruptionis expertem animam adscribere.

1597. Hoc verò utrūm cum animæ humanæ prærogativa consistere queat, & qvām exigua veri similitudine non modo de vermis, culicibus, erucis & muscis qvotannis morientibus, sed & de perfectioribus animantibus afficitur, considerari velim.

1598. Qvamvis autem bestiarum anima ab ejus assertoribus non dicatur rationalis vel intelligentia & voluntate prædita;

1599. Verūm cognitione tantum, sensu & appetitu donetur;

1600. Si tamen attendatur, qvis claus ac distinctus earum rerum, qvæ istis nominibus designantur, animi nostri conceptus sit, qvomodo posteri-

N 3

ora

ora à prioribus differant, aut illis inferiora sint, explicari nequeat.

1601. Præterea, si bestiæ vident atque audiunt uti nos, quæ vulgo est opinio, quoniam oculos & aures habent nostris similes;

1602. Cur non & loquuntur more nostrò quia non minus habent lingvam, labia, dentes & alia organa sermonis elementis formandis apta, & quidem à nostris parum diversa?

1603. Neque enim majore vi cognoscendi opus est ad loquendum, quam ad videndum atque audiendum.

1604. Utrobiique sufficit exigua, cùjusmodi vel in stupidissimis, amentibus ac deliris invenitur.

1605. Ac licet picas & psittacos easdem, quas nos, voces proferre audimus, non tamen loquuntur ut nos, hoc est, ut ostendant se intelligere quidnam dicant.

1606. Cum tamen homines à nativitate surdi & muti soleant propria industria signa quædam invenire, quibus

bus mentem suam aperiunt iis, quibuscum versantur. Exemplum muti & surdi à nativitate cum sorore & quæ ab utero muta & surda scitè legentis, scribentis, rationes computantis, & alia audentium ac loquientium munia praestantis, vide apud Camerar. op. subcif. part. i. Cap. 37.

1607. Hic autem distingvendæ sunt voces & motus animalium, qui ab eorum impetu naturali, ira, fame & similibus proficiuntur, à vero usu loquelas, cum aliiquid voce aut nutibus indicatur, quod ad solam cogitationem referri possit.

1608. Denique singulati animadversione dignum est, quod quamvis multa sint animantia, quæ plus industriæ quam nos in quibusdam suarum actionum patefaciant;

1609. Eadem tamen nullam omnino in multis aliis demonstrare conspiciantur.

1610. Ita ut id quod melius nobis
N 4 faci-

faciunt, non probet, ipsa esse ratione prædita;

1611. (Nam inde sequeretur, maiorem in illis inesse rationem, quam in ullo nostrum, & quod eadem nos in omni etiam alia re superatura sint; cum ratio sit instrumentum universale, quod in omni occasione usui esse potest.

1612. Sed potius probat, ipsa ratione esse defituta, & naturam in iis secundum organorum dispositionem agere, quæ pro actionum varietate varia est, & ubi talis est qualis esse debet, idem semper opus æquè perfectum producit.

1613. Sic videmus horologium ex rotis tantum & ponderibus compositum, æqualius quam nos omni nostra prudentia, horas numerare & tempora metiri.

1614. Ad quam similitudinem § 1576. seqq. cum relabamur, observatam facile animalia quædam mortua reviviscere, quam facile horologium corruptum reficitur.

1615.

1615. Imò non esse difficilium intellectu, quomodo muscæ hieme mortuæ, & quiescentes æstate reviviscant & volent, quam quomodo aqua frigore congelata, igne iterum liquefcat & ferveat.

1616. Et quemadmodum artificialium constitutio non in puncto consistit, sed magnam habet latitudinem; ut ecce horologium, aut rectius, aut minus rectè horas admetitur:

1617. Ita dispositio partium corporis animalis actionibus rectè obeundis aut fatis apta est, aut contraria: unde sanitas, morbus.

1618. Quamvis autem hæc omnia de bestiis examinanda proponamus, non tamen iis sumus, qui vitam & sensum ipsi admunt.

1619. Sed vitam illam in cordis calore sitam esse, & sensum ab organo corporeo, non ab anima cogitante pendere arbitramur.

N

C

CAPUT LII.

De Animalium differen-
tiis.

1620. Bestiarum, hanc secus ac Plantarum, genera sunt innumera-
ne jam dicam de singulis individuis.

1621. Adeo ut utrumque Viventi-
um genus materiae in infinitum divisæ
nobis illustre specimen exhibeat.

1622. Distinguuntur autem anima-
lia cùm aliunde, tum à loco, in quo po-
tissimum vivunt, & motu quoib[us] ferun-
tur.

1623. Atque ita sunt volatilia, aqua-
tilia, aut terrestria.

1624. Volatiles animantes sunt Aves
seu volucres, quorum Aquila regina
est acutè cernens.

1625. Harum alis celeriter agitatis
dum aër resistit, yim gravitatis supe-
rant,

rant, qva corpora earum alias deorsum
feruntur.

1626. Ut patet in avibus depluma-
tis, vel iis etiam, quorum alæ decur-
tatae.

1627. Aquatiles animantes sunt pi-
sces, & quæ iis annumerantur, ut can-
cri & monstra, quæ vocantur marina,
cujusmodi hippopotamus, &c.

1628. Natant pisces agitatione pin-
narum in aquis ac directione caudæ,
quæ id pisci est, quod navi clavus.

1629. Cum autem aqua multo sit
crassior aëre, adeoque magis resistat,
patet cur facilis homo pisces imitari
possit natando, quam aves volan-
do.

1630. Ut etiam patet, cur aviculae
crassiore aëre volent expeditius:

1631. Item, cur natatio nobis faci-
lior in aquis marinis quam fluvialibus.

1632. Porro cum avium & piscium
motus dirigantur in anteriora, mirum
non est quod plumas, pennas, pinnas
versus posteriora inflexa habeant. Vi-
de

de supra exemplum sagittæ pennatæ.

1633. Aves maximè vocales, pisces muti, qvod consonum est iis, qvæ de aëris ad sonum aptitudine & aqvæ in eptitudine diximus.

1634. Aliis quoque animantibus sua vox peculiaris est, qva internosci solent, cuiusmodi est boatus & mugitus boum & vaccarum, rugitus leonum, latratus canum, hinnitus eqvorum.

1635. Bestiæ terrestres sunt, tum quadrupedes, ut elephas; tum reptiles, ut vermes.

1636. Quadrupedes progradientur alternatione pedum, ut alia quoque animalia, qvibus bini vel quaternis plures sunt pedes.

1637. Reptilia corpus nunc intendent, nunc laxant, ita ut altera ejus parte innitentes, progradientur altera.

1638. Ultimo inter animantia loco habentur *Insectæ*, qvorum tamen contemplatio homine digna, cùm in minimis bestiolis ars divina vel maximè eluceat.

1639.

1639. Nam in tanta mole, qvantula verbi gratiâ est pulicis aut chironis, Germ. *Guren*/ tantam partium, figurarum, motuum ponere diversitatem solius Dei est.

1640. Et ista animantia magnitudine virtutis, qvam molis censeri sèpius debent. Sic plura miramur in ape, qvam bove; plura in formica, qvam asino.

1641. Qui tamen muscam Soli præferre audent, eo qvod vitales actus exerceat, illi corporeæ vitæ in solo calore seu fermentatione consistentis atqve à Sole pendentis naturam non asservuntur.

1642. Alioquin enim è particularibus effectibus minimum aliquem universalí causa multo maximæ nollent anteferre.

1643. Insectorum alia sunt *volatilia*, ut apis & musca, de qvibus diximus; alia terrestria, ut araneæ, bombyces; alia aquatilia, ut tipulæ.

1644. Saltare homini cum pluribus.

N 7

ani-

animantibus commune est: qvod qua-
tatione fiat, ostensum.

1645. Unde etiam liqvidum esse pot-
est, qvare saltum facturi prius ex ali-
quo intervallo incurvant: nempè ut eò
vehementius terram pedibus concu-
tiant, atqve inde validius ascendant.

1646. Intuitu generationis animalia
sunt vivipara vel ovipara.

1647. Ovipara sunt aves & pisces,
qvorum ideo major est fœcunditas,
qvam quadrupedum viviparorum.

1648. Ova enim facilius utero augen-
tur, qvam fœtus.

1649. E generationis depravatione
oritur *Monstrum*, id est, animal à re-
cta & solita generis sui dispositione, &
qvidem deformitate aliquanta notabili de-
generans.

1650. Ratione loci motusqve loca-
lis animalia etiam in mansuetis & fera di-
stinguntur.

1651. Cujusmodi divisio non modo
generaliter animali, verùm etiam plu-
ribus animalium speciebus, ut gallinis,
anis-

anseribus, &c. imò & plantis qvodam-
modo applicatur.

1652. *Fera* vocatur qvodvis ani-
mal, cui à naturâ vis insita est libere
vagandi in terra, mari, aere.

1653. Non igitur septo ullo vel cu-
stode servatur, uti animal *cicur*.

1654. Qvamvis autem bestiæ valde
feræ consuetudine cicurari possint, fa-
cile tamen ad naturam redeunt.

1655. *Mansuetas* interim besti-
as inter feras & naturâ cicures quasi me-
dias possis existimare.

1656. Sed & inter alia opposita ani-
malium genera *participia* inveniuntur.

1657. Veluti *Vespertilio* inter aves &
quadrupedes.

1658. *Piscis volans* inter aves & pi-
sces.

1659. Et generaliter *Amphibia* inter
ea, qvæ vel in aqua, vel in terra so-
lum versantur, ut rana.

1660. At *Homo* participationis me-
dium est non inter certa animalium,
sed inter prima & summa rerum con-
tra-

triarum genera. De qvō deinceps latius nobis agendum est.



CAPUT LIII.

De Homine.

1661. **H**omo μικρός νεστος vel parvus Mundus dicitur.

1662. Qvoniam corpore quidem suo rerum corporearum;

1663. Se autem toto rerum omnium creatarum universitatem representat.

1664. E duabus enim constat substantiis, toto genere diversis, Mente & Corpore.

1665. Nec datur ei simile compositum in Universo. Vide Claub. Corp. & Anim. Conjur. Cap. IV.

1666. Itaque natura ejus tali definitione bene declaratur:

1667. Res composita ex mente finita & corpore organico.

1668.

1668. Vulgaris definitio, animal rationale, minus bona. vid. Log. Claub. IV. 56. seqq.

1669. Mentem nostram finitam, id est, non omnino perfectam esse, vel ex eo patet, qvod sape dubitat & optat.

1670. Qvæ duæ operationes veri & boni alicujus absentiam in animo demonstrant: ad qvas perfectiones consequendas non modò passivam potentiam, sed etiam activam propensionem ipse in se experitur.

1671. Corpus animo junctum, non est simplex & uniforme quiddam, ut aqua vel aurum, Vid Cap. XXXI.

1672. Sed variis organis instructum, qvo Homo multas ac diversas functiones exercet.

1673. Verum enim vero ut natura Hominis plius intelligatur, primò quidem separatim Animum & Corpus, deinde conjunctionem utriusque contemplabimur.

1674.

1674. Qvæ ratione attributa Homini
nistríplicia inveniemus.

1675. Nam alia solius mentis, alia so-
lius corporis, alia partis utriusque ha-
bito respectu ipsi adscribuntur.

CAPUT LIV.

De Mentis humanæ natu- ra.

1676. M^entis naturam investigan-
tibus primò qvidem occurre-
re solent illa attributa *insensib^e*, atque
sensib^e.

1677. Qvæ cùm non modò negativa,
sed corporeis quoqve rebus communia
sint, propriam M^entis essentiam haud
quaquam explanant.

1678. Occurrunt deinde illa, qvæ
formantur per negationem corporis &
materiæ, *incorporeum*, *immateriale*,

qvæ etiam, qvid non sit Animus, tan-
tummodo declarant.

1679. Tertio loco sunt qvi *Spirituū* &
rei spiritualis nomine M^entis naturam
explicare conantur.

1680. Atqvi illud etiam nomen
comune rebus esse corporeis vidimus ;
ne calio id nos ducere solet, qvām ut
subtilis ac tenuis materiæ participem
Animum concipiamus, cùm tamen o-
mnis materiæ expertem fateamur.

1681. Qvarto loco sunt qvi *formam*
vel actum corporis organici, aut *prin-
cipium quo vivimus*, Animum defini-
unt.

1682. Qvæ attributa nimis genera-
lia, Logica & respectiva sunt, non spe-
cialia, Physica & absoluta, cuiusmodi in
præsentia qværimus.

1683. Adde qvod isti inhærens defi-
nitioni in eum facilè labitur errorem,
ut plures effectus putet ab Animo pen-
dere, qvæ à causis tantùm corporeis
oriuntur.

1684. Denique si nihil aliud est Anima, quam forma aut actus, seu operatio vel potius agitatio corporis viventis organici, quomodo pereunte corpore ipsa non intereat quis explicet.

1685. Quinto igitur loco optimum factu videatur, si Mens a sensibus ac rebus corporeis communibusque vocabulis aliquantisper abstracta semetipsam sola intueatur.

1685. Intus revera experiendo se intelligere, velle, dubitare, optare, affirmare, negare, cogitare, numerare, ratiocinari, amare, odiare, &c. quorum omnium actuum sibi intimè conscientia est:

1687. Et quoniam cuncta, si vult, cogitat, si non vult, cogitat, si admiratur, cogitat, si ratiocinatur, cogitat, si numerat, cogitat, si affirmat cogitat, si negat, cogitat, judicans cogitat, dubitans cogitat, recte sentiens cogitat, &c. atque ita in qualibet ejus functione cognitione inest.

1688. At non est contrario si cogitat, etiam

etiam affirmat, si cogitat, etiam dubitat, si cogitat, etiam numerat, etiam admittatur, &c. Vide Log. Claub. I. 102.

1689. Definiatur igitur Mens seu Animus, quod sit *res cogitans*.

1690. Utque ad humanam Mentem, quæ à divina atque angelica distinguenda est, restringatur definitio, addantur illa: finita corpori organico mutuò quasi foedere conjuncta. Confer Claub. Corp. & Animæ Conjunctionem Cap. XVIII. seqq.

1691. Ex tali explicatione leviter negotio colliguntur reliqua, quæ de Anima quæri solent.

1692. Quando enim res cogitans est, non extensa.

1693. Utique nec dividi potest vel dissolvi, nec tangere vel tangi.

1694. Nec ab ulla vi corporea produci, conservari vel destrui.

1695. Nec denique alio quocunque modo corporis instar affici, moveri aut figurari.

1696. Adeò ut omnes illæ rerum materi-

materialium affectiones, qvas Phýsicorum pars communis generaliter explicat, à natura Animæ rationalis prorsus alienæ sint.



CAPUT LV.

De Mentis immortalitate, propagatione & unitate.

1697. Speciatim verò inde concludatur, Animam nostram esse revera immortalem & naturâ suâ incorruptibilem.

1698. Non solum ea ratione, qvæ Materia seu corpus in genere spectatum generationis & corruptionis expers esse affirmatur;

1699. Verum etiam, qvod nullas in partes sit unqvm dividua: qvæ corporis perpetua est proprietas.

1700. Concludatur etiam, Animam ratio-

rationalem haudqvaqvam propagari per traducem, qvæsi semen corporeum sit vehiculum, per qvod anima à parentibus soboli communicetur.

1701. Hacten aliter ac ramusculus arboris (id enim est tradux) avulsus, retinendo vitam suam, in aliud trunca vel terram traducitur.

1702. Neqve animam ab anima produci, ut lumen à lumine accenditur.

1703. Neutrum enim sine extensione ac divisione, qvæ in animum nulla cadunt, intelligi queat.

1704. Et novam prorsus substantiam, cuiusmodi mens est in homine qui nascitur, efficere, non Mentis finitæ, sed infinitæ opus est:

1705. Necessum itaque est, animam cuiuslibet hominis à Deo immediate creari, utpote à qvo solo etiam conservatur.

1706. Hoc verò non obstat qvò minus per generationem à parentibus ad liberos peccatum originale propagari statuamus.

1707. Nam (ut alia mittam) bonitati & justitiæ divinæ non magis repugnat animam reatui obnoxiam creare, quam talem conservare: cum nil nisi continua creatio sit quod conservacionem dicimus.

1708. Nec sane potest humanum genus aliter, quam continuâ novarum creatione animarum, in orbe conservari,

1709. μετεμψύχωσις enim, quasi dicas, transanimatio, sanx rationi & fidei adversatur. Sed illud de peccato argumentum non Physico, sed Theologico accuratius enodandum.

1710. Qvamvis etiam Deus animam creet, & corpori, ut loqvuntur, infundat, homœ tamen hominem generare dici queat:

1711. Qvoniام sic disponit corpus, ut ipsi jungatur anima: qvemadmodum hominem occidere dicitur, qui sic disponit corpus, ut anima ab eo separetur. Ad corporis enim seu materiae convenientem & proximam seu ultimam

mam dispositionem, quam homœ generans inducit, animam infallibili Dei ordinatione conseqvitur. Quæ lex quædam nature specialis est, divinæ testis constantiæ, qva semel ita cum creaturis suis concurrere decrevit. Nec alia ratio est legum naturæ, de quibus in Physica generali.

1712. Præterquam quod argumentum illud adversus animæ creationem allatum, cum in solo loquendi modo fundetur, parum roboris in Philosophia habet.

1713. Præsertim apud eum, qui è Metaphysicis didicerit non res, sed modos rerum esse totum illud, quod à via & operatione Creaturæ pendet.

1714. E dictis quoque ad illam quæstionem, an plures in Homine dentur Anima, per facile respondetur, magis eam denominare esse quam de re.

1715. Unica namque in Homine quolibet Anima existit, quæ rationalis cognominatur, ac rectius *Mensus & Animæ* vocabulis denotatur.

1716. Neque actiones ullæ verè *humane* censendæ sunt, nisi ab hoc principio, saltem dirigente, pendeant.

1717. Vires autem vegetandi & corporis movendi, quæ in plantis & bestiis *Anima vegetativa* & *sensitiva* vulgo nuncupatur, si quidem etiam in Homine, sed *Hominis Anima* in eo non debent appellari.

1718. Neque fortassis in plantis & bestiis eò velut communis nomine insignitæ essent, nisi aliquid humanæ Menti simile illis etiam Viventibus nominum inventor vulgus affinxisset.

1719. Hoc saltem certum est, non posse Animam vel Vitam, ceu genus in vegetativam, sensitivam & rationalem dividi, cum duo illa priora cum tertio nihil habeant commune, ut expositum est Log. Claub. IV. 45. seq.

1720. Quamobrem planè ab iis discentimus, qui unicam homini animam, quæ rationalis est, tribuentes, existimant eam talis esse naturæ, ut vegetatî-

vam

vam & sentientem virtute comprehendat, quasi eadem præstaret in homine, quæ vis præstat vegetativa & motrix in plantis & bestiis.

1721. Mens enim humana non potest nisi cogitare: atqui sollicitè quantumvis cogitando ne quidem vel tantillum ad staturam corporis sui adjice-re potis est.

1722. Multò minus *sui domicilii architecta*, seu corporis fabricatrix haberi queat.

1723. Cum enim non possit corpus sibi junctum ullò modò conservare (licet cogitare & velle possit ea, quibus conservatur,) quā valeat illud procreare? Conf. §. 1697.

1724. Nec sane *Anima* cogitans cibum coquit in ventriculo, nec sanguinem per corpus distribuit, nec vim prolificam exercet ullam. Repete quæ supra de Animali generatim, & speciatim de eo, quod rationis expers est, tradidimus.

CAPUT LVI.

De Cogitationum gene-
ribus.

1725. Nempe longè sunt aliæ Mentiæ humanæ functiones, quas communi Cogitationum vocabulo complectimur, ut vidimus supra.

1726. Quando vero permultæ illæ sunt ac variæ, ut in certa genera distinguuntur opera præmium erit.

1727. Videntur autem cogitationum aliæ actiones animi nostri, aliæ eius passiones potius existimandæ. Animus enim Hominis est actus impurus seu mixtus, agendi simul & patientiæ facultate prædictus: quo ipso quidem à Deo, qui actus est purissimus, nihil habens potentiaæ passivæ admixtum, aperte satis distinguitur.

1728. Actiones voco omnes nostras voluntates, quia experimur eas directe ab animo venire.

1729. Passionem generaliter appello omne

omne genus perceptionis, quæ in nobis invenitur, quia saepe accedit, ut animus noster eam talem non faciat, quælis est, & semper eam recipimus ex rebus, quæ cognoscendo representantur.

1730. Si quid simile his animi proprietatibus quæris in natura corporæ, nihil utique invenies revera-
tale.

1731. Poteris tamen (dum in Physicis versaris, & ad exempla corporeæ perpetuæ inclinat animus) aliquo modo cogitare, voluntatem ita se habere in animo, ut se habet motus, activa significatione, in corpore.

1732. Ad perceptiones autem suas ita se habere mentem humanam, ut cera se habet ad varias, quas recipit fi-
guras.

1733. Adeo ut voluntas latio quædam animi esse videatur, tendens ad objectum in idea propositum; percep-
tio autem quædam ejus figuratio vel in varias formas conversio, veniens ab objecto.

1734. Quemadmodum verò in corpore figuræ variatio nunquam sine motu existit, ita nec perceptio ulla in animo nostro est sine aliqua voluntate. Simil enim ac perceptum est aliquid voluntas in illud ferri nec assensus inhiberi solet.

1735. Qvamobrem duæ istæ facultates difficulter admodum distingvi, dividi qvidem ac separari neutiquam possunt.

1736. *Volitio latè sumta*, seu latio cogitationis nostræ versus objectum respicit illud vel sub notione veri & falsi, qvod appellatur *Judicium*, vel boni aut mali, qvod *velle & nolle* strictius dicitur.

1737. Adhæc voluntates nostræ vel in ipso animo terminantur, ut cùm voluntus amare Deum;

1738. Vel terminantur in corpore, veluti cum ex ambulandi voluntate motus pedum seqvitur.

1739. Nimirum regere ac gubernare animus potest corporis nostri mo-

tus, licet eos producere atque efficere nequeat.

1740. Perceptiones nostræ vel animam pro causa habent:

1741. Veluti cum percipis te velle, imaginari vel aliud quodcumque cogitare.

1742. Vel pro causa habent corpus, unde diximus, qvod anima sæpe tales eas non faciat, quales sunt (Causam intellige, quæ excitat vel occasionem dat.)

1743. Et hæc perceptiones vel à spiritibus diverso modō agitatis procedunt:

1744. Utisomniorum illusiones & phantasie vigilantium, quoties cogitatio negligenter vagatur, nulli rei se addicens.

1745. Vel pendent à nervis, quarum rursus triplex existit differentia.

1746. Nam perceptiones hasce aut referimus ad objecta externa, quæ sensus nostros feriunt.

1747. Ita dicimus nos videre cereum, audire campanam.

1748. Aut referimus eas ad corpus nostrum ejusve partes:

1749. Ut cum esurimus, sitimus, dolorem, calorem tanquam in membris nostris sentimus.

1750. Sic eodem tempore & opera eorundem nervorum sentire possumus frigus nostræ manus & calorem flammæ, ad quam accedit.

1751. Aut denique referimus eas ad animam nostram:

1752. Cujusmodi sunt letitiae, iræ similiumque affectuum perceptiones.

1753. Atqæ hæ postremæ passiones animæ specialiter vocantur, quod reliquorum nullæ tantopere animam quatiant.

1754. Iotas omnes perceptiones à nervis pendentes si consideres, non tanquam effectus corporearum causarum in animo; sed ut compositum quid ex aliquo corporis nostri motu &

men-

mentis cogitatione in homine, ad attributa tertii generis referes.



CAPUT LVII.

De Quantitate corporis humani ejusque partium.

1754. Secundi generis affectiones sædem sunt in Homine, quæ in quovis corpore, licet singulæ proprium quid habeant.

1755. Nempe primò magnitudo totius, quam homo non est natus instar musæ exiguum, nec instar elephantis amplam, sed inter animalia quodammodo medium: quod ad multiplicem organorum apparatus, variamque eorum structuram, crassorumque pariter & subtilium operum tractationem apprimè conveniens esse agnoscimus.

1756. Magnitudine adultus infans superare debuit: quod non modò

O § prin-

principia rerum parva existant, verum etiam à matre contineri ac gestari proles nequeat, si ipsam adæqvet magnitudine.

1758. Ita *pygmaeus* à *gigante* differt magnitudine, ut & *homuncio* quilibet à *longurione*:

1759. Sicutamen ut in humana, perinde ac in omni alia viventium specie, certi magnitudinis & parvitatis termini dentur.

1760. Ejusdem quantitatis intuitu natio à natione discriminatur, ob causam expositam.

1761. Est & sua partibus singulis magnitudo, qua cunctæ sibi proportione quadam respondent.

1762. A qua proportione receditur, si magnitudo plus justo augeatur vel minuatur.

1763. Partium justo major extubrantia *Tumor* appellatur.

1764. Magnitudo plus justo aucta quandoque deprehenditur in parte, qua alia debuit contineri, veluti si lingo

gvæ tanta sit moles, ut ore concludi nequeat. Conf. § 1758.

1765. Contra diminuta plus justo magnitudo interdum conspicitur in pedis aut brachii nimia brevitate, in fronte nimis contracta, vel partis aliquujus macie.

1766. Seqvitur *numerus* partium, ex quibus corpus humanum constat, qui certus fere ac determinatus est, adeò ut hic, magis etiam quam in magnitudine, excessus & quæ ac defectus in vicio sit.

1767. Excessus, ut si quis nascatur biceps, aut pluribus quam decem digitis præditus.

1768. Defectus est, si dentes excidant aut pili, unde calvities. Utriusque effectus causas vidimus, si quis monodonus, aut alia parte mutilus.

1769. Partes corporis humani in homogeneas & heterogeneas, vel similes vel dissimilares dividuntur.

1770. At ossa, sanguis, &c. non sunt homogenea corpora, nisi ad sensum tantum.

1771. Melius autem secundum Physicam generalem partes nostri corporis dividuntur in *fluidas*, uti sunt sanguis, & *stables*, uti sunt ossa.

1772. Vulgo partes corporis humani nomine *carnis* & *ossum* comprehendunt, quasi molles ad duras exprimere vellent.

1773. At plenior erit partium integrantium designatio, si dixeris illud ex ossibus, nervis, musculis, venis, sanguine & pellibus esse coagmentatum. Qvibus adde *impetum* facientes spiritus.

1774. Ad hæc partium corporis nostri aliæ separatae sunt, aliæ conjunctæ. Ita labia coalescere non debent.

1775. Si membrum quod unum & continuum est, dividatur, *Solutio continuæ* dicitur.

1776. Hæc manifestior quidem est in vulnere, ulcere, fracturis, &c.

1777. Sed patet etiam in pressione actione qvacunque.

1778. Et omnis dolor proxime à solu-

solutione continui proficiet videtur, licet non ē contrario qvævis continui solutio dolorem inferat.

1779. Proximè dico, nam dolor etiam igni, gladio, aliisque rebus, ut causis remotis adscribitur.

1780. Neque intelligimus alio modo corpore nostrum ledi vel dolore affici, quam si illud, quod unum in eo, & continuum est, plus justo solvatur ac dividatur.

CAPUT LVIII.

De Figura & situ totius & partium.

1781. **S**equitur figura Hominis vel forma externa, cuius in facie, accedente coloris diversitate pulchritudo ac varietas præcipue notanda est.

1782. Hæc varietas eo inservit, ut non modo hominem ab homine digno-

scas; Sed etiam animi affectus ex oculis & vultu, ejusve pallore aut rubore, livore, aliisque accidentibus colligas.

1783. Ratione situs, quo erectum ad sidera vultum tollit Homo, non modo à bestiis, quarum plerique pronæ terram spectant, discernitur, verum etiam cum planta inversa comparatur.

1784. Figuram igitur & situm convenientem non modo totum corpus habet, sed etiam partes singulæ.

1785. A qua convenientia si recedatur, malæ figureationis vel pravi situs morbus existit.

1786. Mala figuratio vel est in superficie, ut in scabie, papularum vestigiis, &c. vel in cavitatibus interioribus, quoties illæ nimis vel dilatatae, vel angustatae.

1787. Mala quoque figuratio est, cum recta sunt membra, quæ curva esse debent, aut contra. Considera ratos, gibbos, &c.

1788.

1788. Pravus partium situs est ex. gr. in luxatione ossis, &c.

1789. Situ & ordine partium stabili- um considerato corpus humanum di- viditur in Truncum & Artus, qvisunt brachia & pedes.

1790. Truncus distinguitur in tres ventres, id est, cavitates magnas, in quib- us princeps aliquod viscus contine- tur.

1791. Horum supremus est Caput, in quo cerebrum, &c.

1792. Medium est Thorax, in quo cor, &c.

1793. Infimus est Abdomen, in quo ventriculus, partes genitales, &c.

1794. Tandem ad situm totius Ho- minis pertinet etiam locus ejus in ter- ra, ubi stat, jacet, sedet, &c. prout alia atque alia operatur.

1795. Illustræ figuræ & situs partium exemplum superioribus declarandis inserviens petamus ab oculis.

1796. Hi in sublimi positi hunc no- bis usum præstant, ut longius prospe- ctemus.

1797.

1797. In parte corporis anteriore, ut gressus dirigantur.

1798. In osseis qvod latenter recessibus, id securitatem ipsis præstat.

1799. Qvod prominent aliquantum, id eò facit, ut qvæ à latere etiam videantur.

1800. Rotundi cùm sint, eò plures capiunt luminis radios, qvoniam figura ista capacissima est. Qvæ omnia de oculis proferimus, non quasi à priori demonstratur, eos sic omnino formati debuisse; sed qvod eorum ita formatorum usum duntaxat indicare velimus. Idem judica de similibus alibi prolatis. Qvare demonstrationes à fine non amemus ex superioribus discere licet.

CAPUT LIX.

De Motu, Voce, Risu, fletu, sudore.

1801. **M**otus, quo totus Homo de loco in locum transfertur, incessus & ambulatio est, qvanvis etiam pisces nando imitetur.

1802. Motus partium humani corporis variii existunt.

1803. Qvorum alii nullo modo pendent à nostro arbitrio, uti tussis, vomitus, oscitatio, sternutatio, singultus, motus cordis, &c.

1804. Alios moderari qvidem aliquantulum & ad breve tempus suspendere, non tamen pro lubitu regere vel diu omittere valemus, ut ecce somnum & vigiliam, respirationem, aperitionem & conclusionem oculorum, alvi & urinæ excretiones, &c.

1805. Alii deniq; veluti capitis similitudinque membrorum voluntarii motus, mentis qvidem imperio subjiciuntur; at sæpe tamen non parent.

1806. Seu ab internis procedant causis, seu ab externis, qvæ sensuum nostrorum vel motuum specialiter ita dictorum organa, voluntate etiam ita repugnante, afficiunt.

1807. Ita non modò frigus aëris, verum

rum etiam ira, metus & ebrietas tremorem inducunt. Multi enim senes nolentes volentes capite nutant.

1808. Ad motus Hominis etiam spe-
ctat Vox ejus,

1809. Et ea qvidem tum articulata,
qvæ sermo,

1810. Tum inarticulata, qvalis in ri-
su & fletu.

1811. Ad vocem formandam concur-
runt primò pulmo & alia respirationis
organæ, aerem suppeditando,

1812. Inde vocis intensio & remissio
præcipue pendet.

1813. Deinde larynx, qvæ fistula
pulmonariæ caput seu initium est.

1814. Hinc vocis acumen & gravi-
tas: prout vel angustior est larynx, ut
in junioribus; vel amplior, ut in adul-
tioribus.

1815. Ita pueri acutius canunt, qvo-
rum guttur angustius est. Et latiora
crassioraque instrumenta gravius so-
nant.

1816. Denique ad vocem perficien-
dam

dam juvant organa, qvæ ipsam articu-
latam ac distinctam reddunt, ut lingua,
palatum, labia,

1817. Unde non male literarum di-
visionem Grammatici Hebræi petunt.

1818. Ritus alias artificialis & fictus,
cujusmodi sape comitatur indignatio-
nem, aut naturalis, qvi comes latitiae.

1819. Qvi ex titillatione est, eum sæ-
pe dolor illico inseqvitur.

1820. Sicuti etiam post multum ri-
sum naturaliter ad tristitiam propende-
mus.

1821. Lacrymae fiunt è vaporibus, qvi
egrediuntur ex oculis:

1822. Utis sudor ex iis, qvi ex aliis cor-
poris partibus egressi in earum extre-
mitate in aquam coëunt.

1823. Qvemadmodum autem vapo-
res mutantur in pluviam, qvoties vel
minus agitantur, vel solito copiosiores
sunt:

1824. Ita in corpore nostro à priori
causa sudores frigidi exitunt, ut in æ-
grotis è debilitate.

1825. A posteriori causa proficiscuntur illi, qui exercitium comitantur.

1826. Tunc autem oculi non sudant,
quia maxima parte spirituum ingredi-
ente musculos, qui corpori movendo
inserviunt, minor eorum copia per ner-
vum opticum ad oculos venit.

1827. Estque eadem omnino materia, ex qua fit *sanguis*, dum est in venis aut arteriis:

1828. Et *Spiritus*, cum est in cerebro, nervis aut musculis:

1829. Et *vapores*, cùm inde prodit
instar aëris:

1830. Ac denique sudor aut lacry-
mae, cum in aquam condensatur in su-
perficie corporis vel oculorum.

1831. Imò, qvemadmodum *nebulæ* ex
aëre descendens & plantis adhærens,
prout minus magisqve terra refrigerata
est, vel in *rorem* abit ex aquæ guttis
compositum, vel in *pruinam* è vaporibus
gelatis constantem:

1832. Ita *halitus* ex ore viri egressus
hiberno tempore barbae adhæret, pro-
mit-

minor i majori e aëris ambientis frigore in aquam vel glaciem conversus.

CAPUT LX.

De Hominis temperamento, sexu, ætate, ac tempore.

1833. **Q**uantum attinet ad tempe-
ramentum humani corpo-
ris, illud in aliis atque aliis partibus
aliud atque aliud est.

1834. Sic pars omnium calidissima
est cor, humidissima est cerebrum, fri-
gidissima & siccissima osa.

1835. Ubi conveniente suo temperamento corpus privatur, morbus intemperiei existit.

1836. Ita febricitantes præternaturalem calorem, frigus & horrorem sentiunt, qvæ vulgus pro *Febris* habet.

1837. At Physicus in depravata po-
tiis

tiùs sanguinis fermentatione febris es-
sentiam ponat.

1838. Temperamento differt *Mas* &
Fœmina, qvod ille calidior & siccior,
hæc frigidior & humidior.

1839. Atqvi *Sexus* diversitas pendet
etiam à partium generationi destinata-
rum conformatione.

1840. Unde *Mas* dicitur animal, qvod
gignit in alio; *Fœmina* qvod in seipsa.

1841. Inter marem & fœminam par-
ticipationis medium est Hermaphrodi-
tes ἀνδρόγυνος.

1842. A temperamento quoque
æstatum discrimina pendent,

1843. Qvarum, haut secus atque
aliarum Hominis affectionum, plures
in Homine, qvam in reliquis viventi-
bus differentiæ numerantur:

1844. Nempe infantia, pueritia,
adolescentia, juventus, virilis ætas, se-
neñus.

1845. Qvoniam autem tempera-
menti mutationes in aliis hominibus
citiùs, in aliis tardius contingunt,

1846.

1846. (Sicuti fœmina citius mare
pubescit.

1847. Ideo æstatum intervalla certo
annorum numero vix definire liceat.

1848. Corpore tamen infantes hu-
midi, senes siccii.

1849. Qvod spectat ad animum, ju-
venum cogitationes ad futura progre-
diuntur, suntqve præcipitatæ, ut ipi
calidores.

1850. Senum frigidiorum cogitati-
ones ad præterita regrediuntur, ac tar-
dæ sunt. In qvibus exemplis, aliisqve
id genus, qvomodo mores animi se-
quantur temperamentum corporis,
considerare licet.

1851. Qvod autem imbecillitatis hu-
manæ intuitu senes bis pueri dicuntur, id
pertinet ad circulum ac revolutionem
terum, de qvo supra.

1852. Præterea ut unicuique fer-
mentationi certum tempus præfixum est, ita
& in corpore humano se res habet.

1853. Exempla dantur in fervore iræ,
qvæ vix superatur ab anima prius,
qvam

qvam commotio cordis, sanguinis, & spirituum sedata fuerit.

1854. Dantur in paroxysmis febrili-
bus, unde febris intermittens, quotidia-
na, tertiana, quartana, &c.

1855. Dantur in fervore cupiditatis
juvenilis pariter & senilis, honestæ &
vitiosæ :

1856. In primis illius, qva qvis fertur
in personam alterius sexus. Nam talis
cupiditas non nisi certo ætatis tempore
hominem incessit, quando confusa
qvadam cogitatione tanquam ad maxi-
mum suum bonum tendit, qvod ante &
post illud tempus distincto intellectu
utens non tanti facit.

1857. Ne jam dicam, qvod cibus &
potus non sint utiles nobis nisi qvam-
diu vigeret appetitus. Exemplum vicio-
si ardoris cum tempore exstincti habe-
mus in Amnone pulchram stuprante
Thamaram, 2. Sam. 13.

CA-

CAPUT LXI.

De Conjunctione Mentis cum
corpore, & præcipue
cum cerebro.

1858. DE affectionibus tertii generis,
qvæ Homini respectu corpo-
ris & mentis simul tribuuntur, ut age-
re possimus, qvomodo partes illæ toto
genere diversæ conjungantur, antè di-
spiciendum est.

1859. Duo corpora juncta dicuntur,
cum extensa suis extremitatibus se
contingunt.

1860. Duas mentes junctas dixeris,
cum altera novit & amat alteram, id est,
cum perceptione intellectus & propen-
sione voluntatis ad se mutuo feruntur.

1861. Qvapropter haud aliter res
ullæ conjunguntur, ac per ea qvæ ha-
bent, & qvibus se contingere aliqua ra-
tione possunt. (Huc refer ex fine ca-
pitis

P

pitis præcedentis exemplum conjugum.)

1862. Quo fit, ut mens & corpus jungi non possint per fines duarum ad se invicem admotarum extensionem, qvia mens extensione caret?

1863. Neqve per duarum cogitationum ad se mutuo relatarum convenientiam, qvoniam corpus nulla vi cogitandi præditum.

1864. Necesum tamen est aliquid inveniri in mente, qvod relationem habeat ad corpus, & aliquid vicissim in corpore, qvod referatur ad mentem: siquidem inter ea satis arcta sit coniunctio.

1865. Atqve in mente inveniuntur perceptiones, qvæ se habent ut passiones, & qvarum plurimæ à corpore nostro pendent.

1866. Vicissim in corpore inveniuntur motus, qvorum plurimi imitantur & gubernantur ab omni voluntate, qvæ se habet ut actio versus obiecta tendens.

1867.

1867. Qvamobrem in ejusmodi actionibus & passionibus mutuis corporis & mentis vitalem conjunctionem ponimus.

1868. Neqve profecto possibilem aliam vel arctiorem ullam corporis & mentis conjunctionem, seu ut loquuntur, unionem diligenter indagando hactenus potuimus invenire.

1869. Non tamen omnibus corporis partibus animam æqvæ arctè conjunctionem esse affirmamus.

1870. Sed existimamus medium & intimam esse cerebri partem, qvæ certa qvædam glandula, de qua consule Anatomicos, ubi anima proprius & specialius, qvam in ullo corporis alio organo, functiones suas exerceat, percipiendo & volendo, qvacunque vel à corpore veniunt, vel ad corpus tendunt.

1871. Qvæ proinde cerebri pars principia sedes animæ censi cœreat, id quæ intuitu functionum illarum dun-

taxat, cum alias nullus ei situs aut locus assignari debeat.

1872. Ratio, qva potissimum ista probatur sententia, constat quatuor partibus:

1873. 1. Qvod duo nobis oculi, duæ aures, atqve ita duplia sint extero- rum sensuum organa, qvemadmodum & cerebri partes omnes geminæ, exce-pta ea qvam diximus glandula.

1874. 2. Qvod sensus tamen uni- uscujusque rei uno tempore tantum sit unus, ex. gr. simplex & una visio canis, qvem cernimus, una, non gemina, per- ceptio latratus, qvem audimus.

1875. 3. Oportere igitur locum existe- re, in quo duæ impressiones per dupli- cia sensuum organa ab unico venientes objecto rursus in unum coëant, ante- qvam perveniant ad animam, ne ipsi loco unius duo objecta repræsentent.

1876. 4. Nullum verò in toto cor- pore humano locum inveniri, ubi e- jusmodi coitio fieri possit, nisi in cere- bri meditullio.

1877.

1877. Sicuti enim è colo fila huc il- luc trahuntur à netrice, ita è cerebro nervi in omnes partes corporis nostri protenduntur.

1878. Cùm ergo dolorem aliudve percipis tanquam in pede vel manu tua, ne putas animam cogitantem in istis membris immediate propria sibi percipiendi ac sentiendi opera defun- gi; sed potius cogites, eam ope ner- vorum ab istis membris ad cerebrum extensorum talia sentire.

1879. Cumqve in animi perturba- tionibus alterationem sentis tanquam in corde, facile agnosces, hanc ab ani- ma non sentiri nisi operâ nervuli, qvâ ex cerebro ad cor descendit;

1880. Nec magis ideo necessum esse, ut anima immediate suas functiones in corde exerceat, qvâ ut in cœlo exi- stat, qvoties radios & pressionem à Sole venientem percipit.

1881. Certe si oculo dextro videndi actum exerceat anima, simulqve exer- ceat eundem in oculo sinistro, eodem

P 3

tem-

tempore bis idem videbit objēctum, perceptionem rei unius & simplicis geminam ac duplēcēm habitura.

1882. Unum ad huc argumentum, qvo probatur animam non sentire, nisi quatenus est in cerebro, superioribus adjicio, desumptum à vertigine: qvi morbus solum cerebrum afficiens sensum perturbat.

1883. Ubi nota 1. vertiginem consistere in circulatione spirituum, qvi sunt in cerebro, 2. inde esse, qvod externa omnia videantur circulariter, moveri, 3. cum tamen neqve in ipsis objectis motus circularis sit, 4. neqve etiam in sensibus externis.

1884. Nempe dum spiritus eum in modum agitantur in cerebro, mentem ibi immediate sentientem afficiunt, qvo fit ut ipsa, qvomodo res externæ se habeant ignorans, judicet eas moveri circulariter.

CAPUT LXII.

De Generalibus sensuum, præsertim extēnorū.

1885. **Q**uamvis autem corporea nostra membra verè non sentiant, seu organa tantū sint, qvibus mens in sentiendo utitur (sicuti baculus instrumentum est, qvo cœcus lutum à lampade dignoscit,)

1886. Inde tamen *sensus in extēnum & internum divisio* petitur.

1887. Externus enim appellatur, qvatenus exētō organo exercetur;

1888. Internus, qvatenus interno perficitur, qvod est in cerebro.

1889. Externi sensus vulgo numerantur qvinqve: Visus, Auditus, Olfatus, Gustus, Tactus:

1890. Qvi differunt objectis, organis & modis, qvibus afficiuntur.

1891. Etiamsi vero Tactus specialiter ita dictus ab aliis sensibus distingvatur,

generaliter tamen affirmari debet, ad omnem omnino sensum tactum seu contactum aliquem requiri.

1892. Nullum enim corporis nostri organum potest moveri à corpore alio, nisi tangatur. Repete definitionem Motus.

1893. Ex. gr. nisi aliquid à Sole usque ad oculum tuum absque ulla contigitatis interruptione moveretur, aut saltem ad motum incitaretur, Solem cernere non posses. Repete Cap. XIV.

1894. Sed anteqvam speciatim de sensibus agatur, observa generatim, in quolibet sensu tres quasi gradus distinguendos esse.

1895. Ita cum ait, te videre Solem, uno videndi verbo tria indicas. I. oculos tuos affici ac moveri à Sole, quem motum inde ad cerebrum operâ nervorum transire diximus.

1896. 2. Animam, quæ in cerebro immediate residet, percipere seu apprehendere aliquod objectum.

1897. 3. Eandem animam judicare id,

quod

quod oculos radiis suis afficit, atque ita menti sensum sui dat, esse Solem.

1898. Primus ergo sensus gradus est motus organi corporei, ab objecto inchoatus (saltem in sensibus externis) in medio cerebro terminatus.

1899. Secundus est perceptio mentis: atque ita nec oculus videt, nec auris audit, sed praesens animus.

1900. Hinc nihil sentimus, quoties mens nostra aut ecclasi, aut alia profunda meditatione abstracta vel distraeta velut extra corpus ponitur.

1901. Tertius gradus est judicium, seu animi assensus vel dissensus.

1902. In hoc solo error locum inventit, non in motu organi corporei, nec in mentis perceptione simplici.

1903. Estque sentire tertio hoc gradu actus liber; at prioribus gradibus necessarius.

1904. Qvoniam judicium pro voluntatis nostræ arbitrio suspendere possumus, ut fecerunt Sceptici, & sape etiam variare, ut ipsi in nobis expe-

rimur, qvoties aliud atqve aliud de objecto sensibili existimamus.

1905. At rerum extra nos positarum in organa nostra incursum & nascentem ex motu nervorum nostrorum perceptionem animus impedire vel mutare nequit. Nam omnibus causis eodem modo habentibus idem sequitur effectus. Causa verò cur sentiamus in secundo gradu, est motus nervi aliquis in primo gradu. Ergo qvoties ille motus idem est aut similis, toties eundem aut similem inde sensum sequinecesserit. per immutabilem *naturam* hinc, similem illis, de qvibus supra.

1906. Adde qvod nostra semper sponte judicamus id qvod judicamus, at s̄a pe multa percipimus inviti (qvipatiendo potius, qvam agendo percipimus, prout etiam corpus nostrum, yel limus nolimus, ab objectis afficitur).

1907. Ut autem recta, non errant frat sensio, tria, ut vulgo quidem docent, requiruntur, organi, objecti & medii debita constitutio,

1908. Atqve hæc tria ad solum primum sensus gradum referuntur, præter qvæ secundus præsentiam & attentionem mentis postulat; uti vidimus §. 1890.

1909. A tertio qvoqve gradu abesse debet præjudicium & præcipitantia. Alia huc spectantia è Metaphysicis repetit, præsertim ex Paraphrasi Claub. in medit IV. Cartesii.

1910. Organum nisi sanum & integrum fuerit, facile sensus labitur, uti patet in ietericis & febricitantibus.

1911. Sed organum non modò externum, verum etiam internum h̄ic esse intelligendum, evidens est ex iis, qvæ de vertigine diximus.

1912. Objecti ab organo justa distantia requiruntur, qvò movere quidem possit, non tamen vehementer aut leviter nimis moveat.

1913. Qvemadmodum igitur non nimis remotum, ita nec parvum nimis esse convenit. Nervi qvippe nostri cùm sint alieujus magnitudinis, à cor-

pusculis quantumvis parvis movere ineqveunt. Nam in majori quanto major est virtus minori obnitudi. Hinc particulæ insensiles in mundo existunt.

1914. *Medium* denique idoneum ad rectum sensum desiderari liquet exemplo errorum, quos committit visus per aërem nebulosum aut vitrum coloratum, vel partim per aërem, partim per aquam cernens.

1915. Objectum sensibile in commune & proprium distingui solet.

1916. *Sensibile commune* pluribus sensibus percipitur, uti Physics nostræ quinque principia: quantitas, figura, situs, motus, quies.

1917. Oculis enim hæc, & auribus & manibus, exposita sunt.

1918. *Sensibile proprium*, quod un tantum sensu cognoscitur, uti lumen, à visu, sonus ab auditu, &c.

1919. At superiora nos docuerunt, hæc etiam propria sensibilia in motu, adjunctis alijs quæ diximus principiis,

con-

consistere: quamvis ob intimam animi cum corpore unionem alia quædam ratione confusa vulgo à nobis percipientur, dum sentimus.

1920. Quando ergo tam obscuræ & confusæ sunt nostrorum sensuum perceptiones, manifestum est, eos personæ non esse datos ad veri contemplationem, quippe quæ ad solam & puram mentem spectat;

1921. Sed ad bonum totius compo-
situm, ad cuius unitatem pertinent.

1922. Quo fit, ut in cibo, potu & medicamentis assumentis aliquando magis sensui & appetiti naturali, quam subtili alicujus medici ratiocinationi sit obtemperandum. Vid. Paraph. Claub. in Medit. Cartes.



CAPUT LXIII.

De Visu.

1923. **T**Ametsi verò sensus propriæ dati non sunt ad naturam re-

rum intimam ejusq; verationes investigandas, sive ad r̄d̄ d̄t̄; juvant tamen plurimum ad r̄d̄ d̄t̄ inveniendum, expeditando phænomena & experientia, de qvibus philosophemur.

1924. Hunc nobis usum imprimis *Visus* præstat, qvippe qvi plurimas rerum differentias nobis manifestat, unde *sensus inventionis* nuncupatur.

1925. Hic sensus omnium latissimè patet, ut & *objectum* ejus proprium & primarium lux: color enim est secundarium.

1926. Nec ullus sensuum aliis objecto tam nobili ac cœlesti gaudet.

1927. Nullus enim velocior est aut certior.

1928. *Visus organum* est, oculus, qvi geminus homini naturalis est licet & monoculi reperiantur.

1929. Per hujus partes diaphanas (ubi & consideranda pupilla) ad tunicam retiformem, qvæ in oculi fundo est, lumen transit:

1930. Ubi qvomodo objecta exter-

na

na repræsententur, exemplo cameræ opticæ, aut oculi ex majore aliquo animali evulsi disci potest:

1931. Qvod oculo verberato vibrationes ignium & fulgurum appareant, (Confer qvæ de vertigine diximus.)

1932. Et varii colores clausis paulò post conspectum solem oculis,

1933. Inde confirmatur, in locali motu primum visus gradum consistere.

1934. Ex illorum qvoq; graduum distinctione patet, qvomodo leporino more dormientes videant simul & non videant.

1935. Vident nimirum quadantenus primo gradu, qvoniam oculis dormiunt apertis: non vident secundò, qvia mens non percipit.

1936. Unde novum petes argumentum, qvod animus non in aliis organis, verùm in solo cerebro, in qvo somnus est, sentiat.

1937. Qvod ictericis omnia flava videntur, id oritur ex præcipititia iudicii, qvod gradum sensus tertium facit.

1938.

1938. Qvia enim affyeti sumus objectis, qvæ videmus, colorem tribuere, ideo istero etiam laborantes idem facimus, non considerantes flavæ bilis in oculis effectum. Applica rursus exemplum vertiginis ex superioribus.

1939. Similem haud raro errorem committit, qvi per flavum vitrum obiectum qvoddam intuetur.

1940. Qvod autem sculptores, pictores, & aurifabri admodum propinquæ acutius intueantur, qvam reliqui homines :

1941. Venatores & nautæ valde remota;

1942. Id à longa consuetudine est, qvæ illi quidem circa propinquæ, hiverò circa remota videndo sese exercuerunt.

1943. Tandem ad modum videndi pertinet, qvòd visio perficitur receptione seu immissione radiorū in oculos: qvem admodum ea, qvæ de lumine superiùs & paulò ante de primo sensus gradu docuimus, evincunt.

1944.

1944. Qvamvis etiam dentur inter homines & bestias, uti feles, qvi radios emittunt ex oculis.



CAPUT LXIV.

De Auditu & Loqvela.

1945. **A**uditus visui dignitate proximus est: qvem admodum & res qvæ sonum defert, aër nempe, cœlestibus vicinior, qvam terrestria reliquorum sensuum objecta.

1946. In percipiendis humanis vocibus, qvæ cogitationum sunt indicies, eximium nobis usum præstat, unde *sensus discipline* appellatur.

1947. Atqvi naturā prior sensus hujus usus is esse videtur, ut remotiorum corporum, qvæ forte in nos irruere possent, impetus cognoscamus ac declinemus.

1948. nomine vocis humanæ intellico tum loquoram, tum cantum, in quo major

major est clangor seu tremoris soni magnitudo.

1949. Auditus tardior visu est, qvia aëris sonum recipiens ramosas & flexiles habet particulas (vide Cap. XXIV.) qvarum una impulsa non eopse momento alias succedentes impellit, ut ifit in globulis cœlestibus inflexilibus ac solidis, qvorum pressione lumen propagatur.

1950. Itaqve celerius fulgor vides, qvam tonitru audimus, licet superior nubes in inferiorem prius cadat; unde sonus; qvam exhalatio incendatur, unde fulgor.

1951. Similiter cum qvis ligna cedit in silva, longius inde remoti videmus jam elevatam securim ad iustum alterum, priusqvam sonus prioris ad aures nostras pervenerit.

1952. Qvemadmodum verò oculi convexi sunt, ut radii luminis à qvibuslibet objecti punctis venientes, qui singuli imbecilles, beneficio talis figurae congregentur, atqve ita vis unita fortior evadat;

1953.

1953. Ita auris exterior ad modum infundibuli excavata & lata est, ut aëris vibratus eò copiosius meatuum auditorium ingrediatur, nervumqve auditorium, è latiori spatio veniens ad angustius, satis valide afficiat.

1954. Istam auris conformatiōnē surdastrī etiam juvare solent, cava manu auri admota. Sic visus juvatur adhibitis perspicillis.

1955. Porrò qvemadmodum datur lumen reflexum seu rediens à corpore opaco, ita sonus interdum à corpore æquali, laevi & concavo repercutitur, reciproca aëris vibratione, qvæ Echo appellatut.

1956. Qvando autem lingvæ humanae voces prænobile sunt auditus obiectum, notandum hoc loco est, atqum loquendi non minus ex animæ & corporis conjunctione promanare, qvam aëtum audiendi.

1957. Qui enim fieri possit, ut animus corpori sit junctus, nisi lingvæ, manui vel alii membro valeat imperare motum,

tum, qvo cogitationem aliquam patefaciat? Hoc enim est *logi posse*, vocabulo latè accepto.

1958. Utqve in sentiendo gradus aliquod distingvimus: ita pariter in loquendo primus gradus censeri potest perceptio mentis; secundus judicium ac voluntas id alteri significandi, qvod percepisti; tertius motus organi corporei, veluti lingvæ aliorumve membrorum. Ita gradus ultimus loquendi respondet primo sentiendi: quoniam illius functionis principium est ab anima, agente in corpus; hujus autem, intellige sensus, initium est à corpore agente in animam.

1959. Etiam si verò lingua præcipuum sermonis organum esse videatur, inventus tamen hoc seculo in Gallia fuit, qvi lingvam non habens omnes Alphabeti literas reliquarum oris partium vi potuit pronuntiare, de qvo vide *Aglo-sostomographiam Salmurii editam 1630.* Equidem de rei ipsius veritate ibidem vivens oculatis testibus confirmatus fui.

fui. Qva observatione uteris ad ea comprobanda, qvæ superius generaliter docuimus.

1960. Cur autem naurā surdus etiam sit mutus, aperta ratio est, qvia vocum formandarum exemplaria non habet: nam absqve imitatione nihil in hoc negotio fieri potest:

1961. Qvod hominum cogitationes non qvibuslibet indifferenter, at certis duntaxat vocabulorum sonis ex communi instituto alligatae sint. Qva in re peculiaris qvædam inter cogitationes & voces connexio cernitur: qvæ licet ab hominum voluntate originem trahat, certam tamen constantiæ legem habet.

1962. Vox viva magis afficit, qvam scripta, quoniam illa proximum & immediatum est conceptuum signum, hæc remotum duntaxat & mediatum.

1963. Adde qvod sonus in crassiore subiecto existens fortius nos movet, qvam subtilior luminis actio.

1964. Ideo præsertim, qvòd ille à cau-

causa præsente pendens per se auditum afficit, cùm pictæ literatum figuræ ab absente aut certè jam non agente profectæ tantum beneficio luminis apparetant.

1965. Denique cùm pluribus intentus minor sit ad singula sensus, qvis sensus est in animo, mirum non est, qvod noctu auditus sit acutior, qvod animus pluribus objectis videndis tum non sit distractus.

1966. Qvæ & causa est, cur cœci diligenter advertant quidnam dicatur, ac dicta fidelius memorie mandent.

1967. Ad priorem effectum etiam nocturna aëris tranquillitas multum consert. Unde & concentus Musicus tunc auribus gratissimus.



CAPUT LXV.

De Olfactu.

1968. Inter olfactum & gustum magna est affinitas, haut secus quam inter odores & sapores.

1969.

1969. Olfactus tamen in homine hebetior esse videtur, ob cerebri humiditatem. Certè sub aquis olfactus aut nullus, aut obscurior. Et catarrholabentes sèpius nihil olfaciunt.

1970. Cavitas narium, & qvidem initio amplior, eò conductit, ut halitus odoriferi collecti ad cerebrum deferantur. Simile annotavimus de auditu, atqve ut ibi infundibuli, ita hic camini exemplo ad rem declarandam ut licet. Consideretur quoqve illud instrumentum, qvo lucubrantes in Muis utimur ad fumū candelæ inde deducendum, cui etiam infundibulum vulgo datur.

1971. Unde & qvibus nares sunt porrectæ, acrius ceteris odorari solent, qvia pluribus halitibus in nares patet ingressus; uti & in longiores asini aures soni major copia intrat.

1972. Res odorifera à naribus aliquantum distare debet, ut particulae per aerem diffundi, & à semutuo separari possint. Similiter enim gladium è vagina,

na,

na, sagittas è pharetra exire necesse est, ut operationes suas peragant.

1973. Sicut autem gladius utcunq; evaginatus nihil efficit, nisi sit qui excipiatur ictum: ita ad odores percipiendos præter nares apertas requiritur inspiratio: unde non modò manu nares occludendo, sed etiam spiritum duntaxat cibiendo spurcum odorem effugere licet.

1974. Qvibus experimentis confirmatur, odoris sensum proficiunt à particulis in aëre volantibus, qvæ cum ipso aëre, quem inspiramus, ad nares advehuntur.

1975. Unde etiam scotor cadaveris versus eam aeris partem diffunditur, qd vento defertur. Simile de Sono vide supra.

1976. Inde & patet, qvod suffitū cerebrum refici & roborari ac spiritus ejus foveri possint.

1977. Qvoniam verò particulæ hælituum diversæ sunt parvitate, figuris, motibus, &c, hinc odorum discrimina-

pendent. Convenientia in eo est, qvod particulæ olfactum afficienes omnes subtiliores sunt sis, qvæ gustum: unde sequitur, nervulos quoque ejus subtiliores & mobiliores esse, adeo ut nimiam huic sensui hebetationem attribueret non oporteat. Qvæ limitatio addatur. §. 1979.

1978. Postremò, non ut oculi & aures visui solum & auditui destinata sunt organa, ita & nares olfaciendit tantum officio funguntur.

1979. Opus enim insuper iis est partim ad respirationem, partim ut per eas supernè defluant frides, qvas emungimus.



CAPUT LXVI.

De Gustu.

1980. **P**Ariter lingvæ non modo standi, verùmetiam loquendi, canendi, lambendi, aliaq; data sunt officia. **Q** 1981.

1981. Est enim lingua gustus instrumentum carne sua peculiari, molli, rara, & spongiosa: qvæ ad sapores humore aliquo vectos imbibendos, uti spongia ad liqvorem recipiendum, aptissima.

1982. Adeo ut qvod in auditu atque olfactu præstat una vel altera cavitas major, id in lingua efficiant pori & meatus illi minores innumeri.

1983. Sapores autem in humido magis consistere alibi diximus. Unde etiam fit, ut si corpus sapidum qvod a-
et humidum non est, lingvæ admone-
veatur, sapor ejus percipi nequeat, ni-
si saliva humectetur.

1984. Ita salem non gustamus, nisi prius admota saliva liqvescat. Et pi-
per ab eadem saliva humectari necesse
est.

1985. Atqve ita icterico laborantes non falluntur, qvòd amarum gustare se judicant, qvoniā flavâ bile lingvæ saliva est infecta. At falluntur, qvod saporem illum cibo tribuant, cujus-
modi errorem iidem icterici circa co-
lorem errant.

1986.

1986. Gustus ergo à Tactu differt ratione organi, & peculiaris, qvæ in eo est, dispositionis. Unde & arida lingvæ res siccas tangit quidem, at non gustat. Idem contingit, silingvæ etiam humidæ prorsus insipida admove-
as.

1987. Tactus per totum corpus dif-
fusus ab integris ferè & crassis corpori-
bus, Gustus à tenuibus & comminutis
particulis afficitur (nam eorum, qvæ
integra deglutiuntur, ut pilularum, sa-
por vix percipitur) præsertim ab ali-
quo modo solidis & rigidis, cuiusmodi
in salsis & acidis reperiuntur, qvæ eam
ob causam multorum ciborum condi-
menta & saporum fundamenta sunt.

1988. Matutino tempore melius sa-
pores discernimus, qvia tum lingva
nondum alios imbibit sapores. Re-
cipiens enim denudatum esse debet à
natura recepti, qvod effatum etiam
ad ictericorum oculos & lingvam ap-
plicare licet. Confer qvæ de auditu
nocturno acutiore diximus.

Q 3

1989,

1989. Usum gustus hunc obtinet, qvod ubi sapores gratos percipimus, ut plurimum intelligamus, commoda nobis fore ea corpora, à qvibus procedunt. Si ingrati, ea tanq;am noxia fugienda esse.

1990. Ita saporum gratia ac diversitas facit (varietas enim & h̄c & alibi deleat) ut magis aliciamur ad ea assumenda, qvibus corpus nostrum indiget.

1991. Nempe Creator optimus voluptates addidit etiam iis actibus, qui ad vita conservationem necessarii sunt, qvō lubentiūs eos exerceremus.

1992. Commodum qvoq;e est, qvod Deus illi voluptati modum & limitem posuit, ne nos ingurgitaremus. Qvod simili ratione de odoratu intelliges. Nidor enim carnium famelicis gratus est, saturis ingratus.

1993. Finita gustus perfectio continent detegitur, qvod s̄pē qvis grato cibis aliquis sapore delusus venenum inter latens assumit: item, qvod non nullus

nulla s̄pē initio voluptatem non affe-
runt, qvæ tamen corpori utilia.

CAPUT LXVII.

De Tactu.

1994. Nullus sensus communior est Tactu, qvippe qvi & omni inest animali & per totum ejusque corpus diffunditur, secus ac fit in aliorum sensuum organis.

1995. Manus interim vola ad tangenda pleraq;e corpora externa commodiūs adhibetur.

1996. Cumq;e nobiliores sensus s̄ ex. gr. Visus, tantum faciat ad bene esse, tactus omnino ad esse necessarius est, ad declinanda pericula, qvæ ab externis corporibus nostro imminent.

1997. Objectum ejus uno vel altero nomine proprio, ut reliquorum objecta sensuum, expriminequit. Generaliter ergo qualitas tactilis appellatur.

1998. Inde qvæsitum fuit, utrum tactus fit unus sensus, an multiplex? Ad qvam qvæstionem respondeatur, etiam visus objectum duobus nominibus, luminis & coloris, efferri, nec tamen propterea visum esse duplicem. Et qvamvis objecta tactus varia existant, communi tamen qvadam ratione movendi convenient. Neqve à solis objectis sensuum distinctio pendet. §. 1880.

1999. Distingvitamen potest tactus latius luntus (non strictè pro sensu prorsus externo) in internum, & exterum, secundum ea, qvæ §. 1876. seqq. habuimus.

2000. Ad ejusmodi tactum internum pertinet *voluptas ac dolor*, qvæ duo licet in sensu contrarii sint, parum tamen à se invicem distant in objecto, qvemadmodum & calor ac frigus.

2001. Qva verò ratione ac diversitate objecta singula tactum afficiant, cognoscere est eorum, qvæ de calore, frigore, duritie, &c. in superioribus docuimus, collatione. 2002.

2002. Nempe ubi exiguae alicuius corporis particulæ variè agitatæ celeriùs qvā nostri corporis particulæ moventur, præcipitur calor: ubi tardius, frigus. Ubi corpora efficacius deorsum tendunt, gravitas, ubi lenius descendunt, levitas sentitur. Ubi partes nostri corporis vehementer quidem moventur, at non lēduntur, sentitur qvadam titillatio; ubi lēduntur, dolor, &c.

2003. Multum in hoc sensu, ut in aliis omnibus, *consuetudo* potest, exemplo visus §. 1932. Et quantum ad Olfactum, notum est proverbium, suum cuique stercus bene olet.

2004. Ita cum plantæ nostrorum pedum affvetæ sint tactui satis aspero, ob gravitatem corporis, qvod portant, incedentes quidem parum hunc tactum sentimus: cum è contrario alias longè mollior & lenior, quo titillantur, nobis ferme intolerabilis sit; ideo solùm, qvod nobis ordinarius non est.

2005. Similem ob causam vola manus faciliter titillatur, quam latus ejus superioris, quod tamen calorem tam intensem, quam vola quidem potest, perferre nequit.

2006. Licet autem satis crassus & confusus hic sentiendi modus sit, quem eadum nominamus, mirandum tamen est, quomodo noctu intermedio baculo tam varia dignoscamus, praesertim si longiore usu affueti simus: quo quidem sentiendi genere cœci nati toto vita tempore uti coguntur.

2007. Minime interim difficultendum
est, celerim & ratiocinationis opus hic
concurrere, uti in aliis quoque sensi-
bus, quantum ad tertium gradum at-
tinget, usu venit.

CAPUT LXVIII.

De sensu communi, Phantasia
& Memoria.

2008. **M**otum exterioris organi
non nisi sensum inchoa-
tum

tum esse, qvi in cerebro demum consummatur, ex ante dictis claret.

2009. Qvatenus autem ex cerebro,
ut nervorum prima origine & specia-
tum in ejus medio, ut communi im-
pressionum omnium centro, perficitur
atque absolvitur sensus, præsentibus
& per externa quæcunque organa mo-
ventibus objectis, sensus communitatis no-
minatur.

2010. Et qvoniā extēnorū sen-
tūm impressionēs sāpe recurrunt, &
aliq vāndo satis vehementes sunt, non
possunt nō in molli & flexili cerebri
substantia, ad qvām nervorū inter-
ventu deferuntur, aliqvod sui vestigi-
um relinquere, uti rotæ currus & pedes
animalis vestigia sui in nīve & luto re-
linquunt.

2011. Illud externæ impressionis
vestigium, qvod *species* & *phantasma*
Philosophis appellatur, rerum absen-
tium, qvas antea perceperamus, in no-
bis *Memoriam* conservat, fungiturque
vice objecti, qvoties de eo absente co-
gitamus.

2012. Atque in hoc ipso Phantasia seu Imaginatio consistit, quod non ad rem ipsam externo sensui præsentem, sed ad ejus imaginem, id est, præteritæ impressionis vestigium mentis obtutum convertimus.

2013. Ita vulgo tres interni sensus numerantur, sensus communis, phantasia & memoria.

2014. Etsi autem imaginatio initio non tam vivida & expressa esse soleat, quam ipsæ sensuum exteriorum perceptiones, repetimus tamen aliquoties externis impressionibus, accedente quoque interna meditatione, multum in nobis perficitur & confirmatur.

2015. Quomodo eadem à puro intellectu differat, & quantam vim habeat, e Paraph. Claub. in Med. VI. initio re-pete.

2016. Cum igitur phantasiæ operatio in cerebro sit, quomodo in corpora longè remota agere possit non appareat. Quæ opinio & experientia & supra dīcis reprehēnat.

2017.

2017. Interim in corpore, cui inest, magnam vim habet, quia nervi, per quos spiritus indesinenter currunt, à cerebro in universum corpus protenduntur.

2018. Et potest aliqua interdum impressio per arterias gravidæ mulieris transire usq; ad certum aliquod fœtus, quem utero gestat, membrum, & ibidem malaciæ certas notas producere.

2019. Huc pertinet Jacobi patriarchæ artificium, Gen. 30. descriptum, quo fecit, ut sibi cederent oves, quæ ex unicoloribus varii nascerentur coloris (divina tamen benedictioni potiores ibi partes tribuimus.)

2020. Sic adulteræ sèpe maritis similes liberos parere existimantur, quod in furtiva Venere deprehendi metuentes perpetuò maritos imaginationi præsentes habeant.

2021. Quæ materiâ abundat mulier, si diu aut vehementer imaginetur caput grande, facile pariet infantem grandi capite præditum.

Q 6.

2022

2022. Contrà, si illi, cui deest materia, assiduè obversetur, aut præter expectationem occurrat homo membro quodam mutilatus, sæpe eveniet, tam ut producat.

2023. Potius tamen ejusmodi fatum mulieres tangit simplices ac meticulo-fas, quam prudentes & animosas, ut poterat quam non tam facile commoventur.

2024. Et impressiones quidem in cerebro efficaciores illæ semper existunt, quæ statim in principio robur omne suum exerunt, quam illæ, quæcum initio debiliores sint & paulatim crescant, facilius averti posunt.

2025. Et objecta sensuum nova tangunt cerebrum in partibus, quibus tangi non solet: quæ partes tenuiores cum sint iis, quæ frequens agitatio induravit, id auget effectus motuum, quos ibi excitant.

2026. Res nempe hæc in organo interno simili prope modo se habet, quo in externis.

2027.

2027. Ita quia tenebroso carceri diu fuit inclusus, si inde subito educatur, solis radios, utpote novum ipsi & vehementis objectum, perfere nequit; sed primò in opacum, paulatim in lucidiorum productus locum solari lumini paulatim assuescit. Et nos ipsi simile quotidie in nobis experimur, dum in tenebris diutius versati ad allatae candela lumen primo aspectu cœcutimus.

2028. Vestigia vero in cerebro hac in re consistunt, quod pori ejus, quibus antea spiritus cursitârunt, propter aliqui objecti præsentiam, acquisiverunt ea ratione facilitatem majorem quam alii, se se rursus eodem modo spiritibus ad eosdem vehementibus aperiend:

2029. Adeo ut hi spiritus poros repertos facilius subeant quam alios.

2030. Nempe sicuti charta vel pannus semel plicatus, facilius iterum pliatur secundum eandem plicam.

2031. Edictis haud difficulter quivis intelligit, quare objectum, quod vel semel fortior sensus movit, vel sa-

Q?

pius

pius iteratum fuit, facile memoriae infigatur.

2032. Qvare item ea, qvæ juvenili ætate vel tempore matutino apprehendimus, firniùs memoriae inhæreant, quando multa nondum vestigia cerebro sunt impressa.

2033. Nam uti in charta plicarum, in nive vestigiorum, in aëre sonorum multitudo confusionem gignit: ita & in cerebro plurium rerum impressio distinctionem vestigiorum tollit.

2034. Cerebrum nimis humidum & molle, qvale puerorum, facile quidem recipit, at non custodit impressiones, perinde ut aqua vel luctum plura aqua maceratum. Hinc ergo limitationem recipit §. 2037.

2035. Contrà cerebrum siccus ac durius servat qvidem semel recepta vestigia, si profundè impressa fuerint, verum haut facile nec profundè sibea imprimi patitur.

2036. Ex qvibus omnibus appareat, quamobrem alii magis, alii minus memoria valeant.

2037.

2037. Est autem memoria hæc sensualis ab intellectuali necessario distinguenda, haut secus ac phantasia à puro intellectu, §. 2005. cum negari non possit, mentem etiam puram vel à corpore separatam qvorundam reminisci, id est, cogitare de re qvapiam priùs cogitata, & qvidem sub illa ratione, qvod priùs de eadem cogitaverit.

CAPUT LXIX.

De Vigilia, Somno, & Insomnio.

Hactenus de sensu habuimus, qvi respectu animi, id est, qvoad secundum & tertium gradum, semper internus est, respectu organi corporei partim externus, partim internus.

2039. Addendum nunc est, statum illum, qvo sensus non impediti functiones suas obeunt, appellari *Vigiliam*.

2040. *Somnum* verò, qvo naturaliter impediti à suis operationibus cessant, unde & qvies dicitur.

2041.

2041. Differunt ergo vigilia & somnus, ut solutio & ligatio, cuiusmodi differentia in aquam fluentem & consistentem.

2042. Prout autem somnus vel profundior est, vel minus profundus: ita sentiendi facultas magis minusve officio suo fungi desinit.

2043. Quæcunque sanguinem attenuando, calefaciendo, &c. spiritus animales augent, aut fortius agitant, vigilias inducunt.

2044. Contra, quæ sanguinem incrassando, vel refrigerando, aliove quocunque modo copiam spiritum minuunt, vel motum eorum retardant, somnum conciliant.

2045. Imaginatio dormientium *In somnum* appellatur.

2046. Varietas somniorum oritur à diversitate 1. vestigiorum cerebro impressorum, de quibus capite præcedenti; 2. temperamenti, quo spiritus alter atque alter figurari & moveri apti. 3. consuetudinis §. 1993.

2047.

2047. Sive autem somniet homo, si ve non, animus ne quidem in profundissimo somno ab omni cogitatione cessat. Sic enim cessans existere desineret, essentiam suam, quæ in cogitando posita est, amittens.

2048. Qvod autem cogitationum nocturnarum, quas dormientes habuimus, matutino tempore non recordemur, id minime probat nullas fuisse. Solemus enim non modo somniorum sed & cogitationum, quas vigilantes habuimus, haut raro oblivisci, licet interim somnia esse nos vel cogitasse certi simus.

2049. Quoties enim non recordamur cogitationis alicujus præteritæ ad sensum pertinentis, manifesto id argumento est, vestigium ejus distinctum vel profundum satis cerebro non esse impressum. Qvorum alterutrum in cerebro dormientis, ut etiam infantis, facile contingit.

CA.

CAPUT LXX.

De Appetitu naturali.

2050. Posteaquam de sensibus actum est, sequitur ut agamus de *Appetitu naturali*, qualis est, exempli causâ, cibi, potus, Veneris; quæ tria in Temperantia considerantur, dum in abstinentiam, sobrietatem & castitatem dividitur.

2051. Ad sensus internos etiam referri posse ejusmodi appetitus, ex antedictis intelligitur. Peculiarem interim considerationem merentur.

2052. Cum enim, haut secus ac reliqui sensus, ratione corporis & animi simul Homini competant, quæ in ipsis ad corpus pertinent, ab iis quæ ad animum, diligenter sunt distingvenda.

2053. Ex gr. in Fame est certa quædam vellicatio ventriculi, in Siti est faucium ariditas, unde oritur primò quidem perceptio doloris (qui vehementissimus & primus in homine qui

n^a.

nascitur, sensus esse videtur,) deinde judicium de cibi aut potus ad corporis conservationem necessitate.

2054. Quidam verò ejusmodi corporis affectum animique perceptiōnem & judicium ut plurimum voluntas edendi & bibendi comitatur, ideo *Appetitus* dicuntur.

2055. Certum alias est, hasce affectiones ad Hominem tanquam ex anima & corpore compositum, pertinentes, famem & sitim intelligo, à voluntate quæ solius animæ est proprietas, mente esse discernendas.

2056. Quid? quod revera interdum separantur; ex. gr. in jejunio religioso non est voluntas edendi, & tamen saepe viget appetitus naturalis, dum esurire vel sitire percipis. Vice versa saepe quis infirmus vult quidem edere, & tamen caret appetitu, non esurit.

2057. Huc spectat illud Medæx, *Vide o meliora proboque*, quod sine aliqua voluntatis propensione esse non poterat; *deteriora sequor*, naturali desiderio satisfaciens.

2058.

2058. Contrà Rex & propheta David appetitu naturali desiderabat aquam è cisterna Béthlehemita; sed allatum nollebat bibere, i. Chton. II.

2059. Naturalia hæc desideria solius corporis utilitatem respiciunt, nec alio quam ad salutem & œconomiam vitæ illius vegetativæ, quæ corporis propria est, referuntur, de qua Cap. XXXI.

2060. Præter hæc alia desideria existunt, quæ vel totius compositi, vel mentis præcipue commoda spectant, ut appetitus divitiarum, honoris, potentiaz, dominationis, scientiaz. Ad quos appetitus per affectus aliquos maximè excitamur. De affectibus autem nunc agendum.



CAPUT LXXI.

De Affectibus animi in genere.

2061. Namque inter affectiones, quæ Homini ut ex animo &

corpore composito tribuuntur, super sunt illæ, quæ singulari de causa passiones, affectus, vel affectiones, aut commotiones animi appellantur.

2062. Qvod nullæ alia sensum internæ vel externæ perceptiones tanto pere animam agitent: vel tam propinquæ ei existant.

2063. Quippe in aliis perceptionibus, quas referimus ad objecta externa aut partes corporis nostri, facile deceptioni locus est, quemadmodum & in appetitu naturali, ut in Paraph. Claub. in Med. VI. leçt. 10. expositum.

2064. Non item in hisce passionibus, quia tam propinquæ sunt animæ, ut eas aliter ac sunt persentiscere ne queat.

2065. Ita sæpe dormientes, interdum & vigilantes nobis adeò fortiter quædam imaginamur, ut ea coram videare vel in corpore nostro sentire possumus, cum tamen nullæ sint.

2066. Verum enim vero, licet dormiamus ac somniemus, tristes nos vel alia

alio affectu commotos sentire non possumus, qvin verissimum sit, talem in nobis commotionem inesse.

2067. Producuntur autem affectus in nobis, imò conservantur & corroborantur per aliquem *motum spirituum*.

2068. Atqve ita differunt à propriis voluntatis nostræ actibus, qui nominari quidem possunt commotiones animæ, & quidem tales, qvæ ad animam referuntur, sed qvæ non à spiritibus, verùm ab ipsam et anima efficiuntur.

2069. Sic distingvere oportet lætitiam vel tristitiam *intellectualem*, cuiusmodi etiam in Angelos cadit, ab iis qvæ passiones, sive à lætitia & tristitia animali. 2047.

2070. Qvandoquidem ex ipsa etiam animali tristitia intellectuale gaudium oriiri potest, ut sàpe experimur, dum casus lugubres in theatris vel in concentu Musico nobis repræsentantur.

2071. Passiones omnes, excepta admiratione, qvæ ad solum cerebrum refertur, cum peculiari cordis alteratione

con-

conjunctæ sunt: unde totum qvoqve sanguinem & spiritus commoveri necesse est.

2072. Et hujusmodi quidem corporis alteratio pro primo, consequens inde mentis perceptio pro secundo, accedens denique ipsa animi perturbatio, quatenus est præceps qvædam judicij aut voluntatis inclinatio vel aversio, pro tertio *affectum gradu sumi* potest. Congruenter iis, qvæ de sensuum gradibus supra diximus.

2073. Præter istam causam affectum proximam, qvæ est spiritum agitatio, tres aliae remotiores considerari possunt.

2074. Quarum prima est actio ipsius *anima*, qvoties se se applicat ad hæc vel illa objecta concipienda, qvorum attentione affectus excitantur. Hinc Oratores ut affectus cieant, objecta varia cum exemplis & rationibus, auditoribus ob oculos ponunt.

2075. Altera est *corporis nostræ temperamentum*, aut impressio qvædam casu

casu in cerebro occurrentis (Confer §. 2037.) uti contingit, quoties latos vel tristes nos esse sentimus, ita ut causam assignare nequeamus (Hanc enim ab objectis ut plurimum petere solemus.

2076. Tertia sunt ipsa objecta, sensus moventia, quæ quidem affectuum causa sunt frequentiores & magis principales, iisdemque intersese distingvendis potissimum inserviunt.

2077. Qvando igitur affectus in Homine tam multi & varii sunt, & sæpe numero adeo inter se permixti, ut vix distinguvi satis possint;

2078. Qvò præcipuorum ordinem & numerum inveniamus, operæ pretium erit, ut objectorum in sensus notrios agentium, & affectus in nobis continentium varietates consideremus;

2079. Non quidem omnes, quas in se habent, ed eas duntaxat, qvibus prodebet nobis aut nocere, vel tanquam novæ & insolite nos afficere possunt. Ex hac enim postrema consideratione affectuum primus existit, qui ad cere-

brum spectat, cum reliqui ad cor & sanguinem referantur ex §. 2062.

CAPUT LXXII.

De speciali Affectuum enumeratione.

2080. Nam priusquam cognoscamus, utrum objectum sensibus obveniens bonum nobis aut malum sit, contingit, ut veluti *novum* & *insoluum* nobis exhibeatur.

2081. Hinc oritur *Admiratio*, affectuum primus, & qui affectum contrarium habet nullum, cuius excessus est *stupor*, unde quis attonitus dicitur.

2082. Jam qvoniam usu venit, ut vel magnitudinem objecti admirabilis suspiciamus; vel parvitatem ejus despiciamus, admirationi jungitur *Exultatio* vel *Contemnus*.

2083. Magnitudinem estimamus vel in nobis ipsis, idque ob causam justam,

cujusmodi est bona voluntas, unde Generosus; aut injustam, cuiusmodi est forma corporis, unde superbia Hochmuth.

2084. Vel in aliis personis, qvas nobis prodesse vel obesse posse judicamus, unde Veneratio.

2085. Parvitatem contemnimus vel in nobis ipsis, idque honeste, unde submissus animus Demuth / aut vitiōse, unde abjectio animi.

2086. Vel in aliis personis, qvas ita putamus infra nos esse, ut bene vel male facere nequeant, unde Dedignatio.

2087. Reliqui omnes affectus ex eo in nobis oriuntur, qvod objectum sensile nobis offertur ut bonum vel malum, id est, congruens aut non congruens nobis, §. 2070.

2088. Hic autem vel nullam temporis differentiam in objecto consideramus, vel objectum respicimus sub certa temporis differentia, qvatenus praesens, præteritum aut futurum est.

2089. Ubi singularis consideratio temporis non adest, res qvæ ut nobis con-

conveniens repræsentatur, Amorem, qvæ ut noxia, Odium gignit.

2090. Estque Amor conjunctionis, Odium separationis affectus.

2091. Intellige conjunctionem ac separationem, qvæ fit per voluntatem ejusque consensum ac dissensum.

2092. In Amore amans se considerat ut partem unam, objectum amatum ut partem alteram, ex qvib[us] unum qvæ totum conficiatur.

2093. At qvi odio proseqvitur objectum aliquod, se veluti totum considerat, ab objecto penitus separatum.

2094. Tempus qvod attinet, homo affectibus suis magis in futuri, quam in præsentis aut præteriti considerationem fertur. Applica hoc ad juvenes, qvi magis affectibus obnoxii sunt.

2095. Futurum objectum spectatur vel tantum possibile, vel insuper ut obtentu facile aut difficile.

2096. A priori consideratione existit Cupiditas, qva appetitur non solum boni absentis præsentia & præsentis con-

servatio; sed etiam absentia malorum, tum præsentis, tum ejus quod creditur eventurum.

2097. Ita ergo cupiditas vel desiderium, malorum etiam fugam, vel aversiōnem complectitur, cum unus idemque sit animi motus, quo eodem tempore agitatur, bonum, veluti divitias, querendo, & malum ei contrarium, veluti paupertatem, vitando.

2098. Si objectum non modò ut possibile, sed etiam ut obtentu facile representatur, excitat spem, cuius gradus summus Fiducia vel securitas appellatur.

2099. Sin proponatur ut difficile, parit Timorem seu Metum, cuius gradus summus Desperatio est.

2100. Timoris species est Zelotypia, cum quis sola suspicione ducus bonum aliquod se perditum metuit.

2101. Porro difficultas circa res à nobis pendentes, posita est vel in electione mediorum, vel in ipsa exsecutione.

2102. Difficultas in agendis mediis eli-

eligendis parit animi fluctuationem, Galli irresolutionem.

2103. Qva hæsitatione nondum deposita si agas vel egeris, oritur Morsus conscientie, qui præsens aut præteritum respicit.

2104. Difficultas in ipsa actione seu executione vel superatur à nobis, vel superat nos.

2105. Superatur à nobis Animositate, qvæ ubi circa res majoris periculi versatur, Audacia dicitur.

2106. Et ubi pro causa externa habet exemplum, Æmulatio est.

2107. Superat nos agendi difficultas in Pusillanimitate, qvæ ubi stuporem adjunctum habet, Consternatio vocatur.

2108. Adhac præsens objectum quod attinet, id offertur sensibus vel tanquam ad nos spectans;

2109. Atqve ita bonum in nobis Letitiam & gaudium, malum Tristitiam & mcerorem excitat;

2110. Vel ut spectans ad alios, qvos

bono vel malo dignos aut indignos existimamus.

2111. Si digni habentur, id parit in animo lætitiam, aut seriam, aut cum ir-
tione conjunctam, qvò pertinet *ex-
hilaratione*.

2112. Si judicantur indigni, bonum qvod ipsis contingit, in nobis excitat invidiam seu livorem, & malum *Com-
miserationem* seu misericordiam.

2113. Atqve ambo hi affectus speci-
es sunt tristitia, cui ibi qvidem odium,
hinc amor conjungitur.

2114. Porro in objecto præterito vel etiam præsente possumus considerare tum causam boni aut mali, tum utrius-
que durationem.

2115. Causam intellige, à qva bo-
num aut malum illud præstitum est:
qvæ causa sumus aut ipsi nos, aut alii.

2116. Qvod à nobis ipsis præstitum
est, id vel ad opinionem nostram, vel
ad opinionem aliorum referimus.

2117. Bonum à nobis præstitum at-
que ad nostram opinionem sub notio-
ne

ne boni relatum, producit *Acquiescentia-*
m interiore, qvæ passionum omnium
dulcissima est.

2118. Malum à nobis præstitum at-
que ad nostram opinionem sub notio-
ne mali relatum, excitat *Penitentiam*,
qvæ passionum omnium acerbissima est.

2119. Bonum à nobis præstitum at-
que ad aliorum opinionem, qvam de
eo concipere possunt, relatum, parit
in nobis *Gloriam*; malum contrà *Pudo-*
rem seu *erubescientiam*.

2120. Qvi duo affectus partim ab a-
more nostri, partim à spe laudis au-
metu vituperationis proficiuntur.

2121. Si bonum qvid alius fecerit, ei
favemus; si fecerit nobis, etiam grati su-
mus, qvod amplius qvidam est; qvis
vim in ciendis affectibus majorem
semper habet illud, qvod nosmet ipsos
tangit.

2122. Atqve hi affectus indignatio-
nis & iræ, species odii, vel aversionis.
sunt.

2123. Duratio boni diuturnior in no-
bis.

bis, qvi vicissitudini subjecti sumus, qvandoqve parit *Satietasem* seu *Fastidium*.

2124. Uti è contrario mali duratio minuit *Tristitiam*.

2125. Deniqve ex bono præterito dum lætitia inde perceptæ recordamur ac de recuperando eo desperamus, remanet *Desiderium*, qvod species tristitiz est:

2126. At ex malo jucundè superato relinqvitur *Hilaritas*, qvæ lætitia species est.

2127. Qvæ omnia si accuratius ex pendantur, patebit affectus primarios seu primitivos & simplices esse sex, *Admirationem*, *Amorem*, *Odium*, *Cupiditatem*, *Lætitiam*, *Tristitiam*.

2128. Reliqvos esse secundarios, & vel ex pluribus eorum componi, vel eorundem esse species.

2129. Quemadmodum enim motus in mundo corporeus, qvatenus peculiarem qvandam naturam sibijunctam habens certarum rerum sit proprius, via

ria nomina sortitur: ita commotiones animi nostri certis definitæ ac restrictæ circumstantiis varias denominationes habent. Qvæ observatio generalis est.

CAPUT LXXIII.

De Occultis certorum Hominum qualitatibus.

2130. **R**eperiuntur vero in certis hominibus affectus quidam peculiares, veluti, qvod cibo qvopiam mirifice capiantur, vel ab eo abhorrent, ut abstemiri à vino, multi à caseo, vel butyro.

2131. Quod multi etiam perferre nequeant præsentiam hujus vel illius animalis, ex. gr. felis, aut hujus illiusve rei odorem, uti roscarum.

2132. Hujusmodi individuales, uti vocantur, proprietates vulgo ad qualitates

tates occultas referuntur, & sympathiaæ atque antipathiaæ nominibus insinuantur. monob esimy zindisitutio
2133. Infinit autem vel ab ipso ortu; sive in parentibus fuerint, sive non, vel post ortum superveniunt.

2134. Possunt item vel ætatis progressu, vel aliis de causis mutari, ut si puer abstemius qvi fuit, vitæ factus vim non aversetur; vel non mutantur unqvm.

2135. Horum affectuum origo non aliunde derivanda est: qvam exanimæ corporisqve nexu, unde cuncti sensus, appetitus & affectus reliqui pendent.

2136. De qvo nexus duæ res hoc loco nobis observandæ sunt.

2137. Prior est hæc, ubi semel junxi-
mus qvandam actionem corpoream
cuidam cogitationi, neutra earum un-
qvam se postea offert, qvin altera se
qvoqve exhibeat.

2138. Posterior est, non semper easdem
esse actiones corporis, qvæ eisdem
cognitionibus junguntur.

2139. U-

2139. Utrumqve exemplo varieta-
tis, qvæ in lingvis est, illustrari que-
at. Nempe conceptus nostros certis
verbis alligamus, omnes qvotq; lo-
quendi atque audiendi facultates haut
impeditas exercemus: at aliis ut Gal-
lus, Anglus, tales animi cogitatio-
nem conjungit cum tali sono; aliis ut
Hungarus, Polonus, eandem cogita-
tionem cum alio vocabuli sono, qvi ore
profertur & aurem ferit, copulat.

2140. Eisdem iteratis conceptibus
cum voluntate ipsos explicandi, sua
qvisqve verba iterat. Idem verbum
audiens eandem qvam ante cum illo
cogitationem nexuerat, repetit.

2141. Eqvidem vel ex unico actu,
dummodo satis intensus fuerit, ejus-
modi nexus primùm oriri, vel semel
ortus mutari potest.

2142. Ita cùm ex inopinato res
qvædam valde sordida reperitur in ci-
bo, qvi magno cum appetitu comedie-
batur antea, inopinatus ille casus tan-
topere dispositionem cerebri mutare

R 6

vales

valet, ut postea talis cibus nisi cum horrore adspici nequeat, licet antea cum delectatione comedetur.

2143. Et notum vulgo est, quomodo infantes ablactari soleant, dum sinapi vel simili re lactentibus ingratâ ubera inunguntur.

2144. Aversiones itaque certarum rerum in certis hominibus, quorum origo vulgo ignoratur, haud raro inde oriuntur; quod principio vita sua à talibus rebus valde laeti fuerint.

2145. Sic odor rosarum potuit infantem magnum capitis dolorem attulisse, cum ad huc in cunis esset; aut felis potuit eum valde perterrefecisse, nemine animadvertente.

2146. Ipso quidem infante nullam illius casus memoriam postea conservante, quod vestigia satis distincta molli & humido ejus cerebro, aut impressa non sint, aut non retenta.

2147. Quamvis idea aversionis, quam tum illarum rosarum, aut illius felis in cunctu intans conceperat, impres-

sa manerit ejus cerebro usque ad finem vitæ.

2148. Oriuntur etiam aversiones certarum rerum in certis hominibus, quod nondum in lucem editi unâ sunt passi cum matribus suis, quæ gravidae ab ejusmodi objectis lasciae fuerunt.

2149. Datur enim talis relatio inter omnes matris motus, & motus infantis, quem gestat in utero, ut quod uni contrarium est, alteri etiam noceat.

2150. Ita contingit aliquando, ut cum gravida mulier brachium fregisset, filii, quem enixa est, brachium eodem modo fractum esset. Cumqve brachio infantis eadem sunt applicata remedia, quæ matris, utrumque sanatum fuit.

2151. Quæ autem de certis aversionibus dixi, similiter de amore, desideriis, aliisque affectibus intelligentia sunt.

2152. Accidit, ut narrat Clariss. Claubergius: ut cognati recens defuncti viduam gravidam & partui vicinam quotidie ipse Claub. inviseret, omnia-

que honestatis officia eidem præstaret, adeo ut inter compellantes & præsentes amicos nemo tunc temporis inventiretur, cuius gratior ei adspectus, aut svavius alioquin esset. Nascitur viduæ filiola, quæ post triennium, cum ante Claubergium nunquam conspexit, in consortium plurium virorum & mulierum à nutrice ducitur, & qvamvis ibi ab aliis magis, quam à Claubergio, verbis amicis ac bellariis, demulceretur, aversata tamen omnes (erant autem ei cuncti æque peregrini) ad se nimirum Claub. solum iterum atque iterum accurrebat, ludendo infantium more & arridendo. Causam ergo illius erga hunc Virum propensi affectus hanc in infante esse puto, qvod in matris gravide utero existens, ejusdem sensus & commotionis particeps olim fuisset.

2153. Atque ita universam Philosophiam naturalem brevi quantum potuimus systemate comprehensam, & nulli ac intelligibili, ut opinor, modo

pro-

propositam, per principia Magni illius Philosophi, veritatis ex caligine & servitute emergentis promotore unico D. RENATO DES CARTES, clara & sufficientia absolvimus. Nemini tamen assentiendi & dissentiendo legem præfigimus. Si cui hic nonnulla placeant, gratum est, si quædam displiceant, neqve hoc erit ingratum. Dissentiat igitur cui libet; sed absqve calunnia vel maledicentia. Neutra enim qvicqvad prætexatur, ingenuos decet; & utraqve, ut passim docet experientia, in autores suos, cum dedecoris fœnere plerumqve redit.

Cæterum placet ad uberiorem superiorum illustrationem

DE MUNDI UNITATE

controversiam paucis subjungere.

I. Princípio autem videndum est, qvid sit in qvæstione positum,

ut-

utque hoc videri possit, quid *Mundi* nomine intelligatur ante cognoscendum. Cum autem varios habeat significaciones, sufficit ad propositum nostrum, si tres sequentes hic annotabimus. Significat igitur 1. rerum creatarum, tam corporalium quam intellectualium universitatem. 2. Universitatem rerum tantum corporearum. 3. solam terram & quæ ei cohærent.

2. Prima significatio ratione congruit. Nam cum illud omne, quod præter Deum est, unam quendam communem habeat rationem, v. g. quod à Deo ut causa efficiente pendeat, & ad ipsum ut finem ordinetur, præterea finitum sit & corruptibile respectu Dei &c. merito etiam uno communione appellabitur, & vel universitas creata vel mundus dicetur.

3. Nec secunda significatio ratione destituitur. Nam cum omnes res corporeæ unam eandemque sortiantur communem rationem, quod sint extensæ in longum, latum & profundum, & hinc mobi-

mobiles ac divisibles in partes, unde variae figuræ, magnitudines, situs &c. oriuntur, possunt non immerito una mundi seu universitatis corporeæ appellatione comprehendendi.

4. Tertia autem significatio non in vera & solida ratione, sed in humanis præjudiciis fundatur ac stabilitur. Homines namque Terram considerant ut corpus longè maximum & potissimum, alia tantum spectant ut secundaria & minus principalia, ac proinde semper eadem concipiunt cum subordinatione & relatione quadam ad Terram, & pro hac relatione vel nihil esse putantur, vel tantula censemur, ut cum Terra comparari cumque illa in considerationem venire non mereantur, vel denique habentur pro appendicibus & adjunctis Terræ. Nempe aer & cælum, & quicquid est invisibile, mundique adeo pars multò maxima, pro nihil estimatur. Cœlestia Sidera tanquam exiguae faculæ aut lampades accensæ, (etiamsi multa sint numero, tamen quia

qvia magnitudine putantur pere exigua
maxima qve temporis parte sunt in-
conspicua, nec alia ratione sensibili
corpus afficiunt) ubi Mundi, id est,
Terræ cogitatio animum subit, non
computantur, aut certe ad Terram non
aliter referuntur, qvam parvæ candelæ
ad augustum palatium. *Sol* etiam ipse
(& similis ferè *Luna* ratio est) vel tan-
qyam Deus spectatur adeòqve à mun-
do distinguitur, ut sit à barbaris Natio-
nibus ; vel instar aliarum stellarum
consideratur ut lucerna Terræ, unde &
Orpheus æternum mundi oculum So-
lem appellavit. Tandem aqua & alia,
ut adjuncta Terræ respiciuntur.

5. Priores itaque duas signifi-
cationes Mundi rectæ rationi conformes
sunt, tertia à ratione aliena est. Po-
tiori enim ratione (si naturam absolute
& non relatiè ad homines adspiciamus)
Mundi appellatio Soli v. g. qvam Ter-
ræ imponeretur (utpote qvi & magni-
tudine corporis & luminis in immen-
sum diffusi splendore hanc multis par-
tibus

tibus exsuperat) & majori adhuc jure
Cælo, qved omnia complectitur.

6. Priores etiam significations
conveniunt 2. cum etymo Mundi.
Mundus qvippe tam Græcis qvam La-
tinis ab ornatu, elegantia & pulchritu-
dine nomen accepit, qvæ pulchritudo
& elegantia, consistens in rerum dele-
tabili varietate, ordinata dispositione,
absoluta plenitudine, indissolubili con-
nexione &c. non sine contentu aliquo
Conditoris ad Terram & terrestria re-
stringi potest ; Verùm ad omnia crea-
ta, aut saltem ad res omnes corporeas
extendi debet.

7. Consentiunt porro 3. priores duæ
significationes, cum aliis appellationi-
bus, qvibus Mundus alias denotari
consuevit, qvando vocatur τὸ πᾶν,
omne, τὸ ὅλον, totum, item, univer-
sum, rerum universitas, qvæ nomina
Terræ soli, aut Terræ in primis (qvæ in-
tuitu reliquorum corporum exigui
puncti rationem obtinet) applicare
non potest, nisi præjudiciis immersus
planè

planè intellectus; Sapiens toti corporarum rerum multititudini à Deo creatæ aptissimeq[ue] dispositæ accommodabit.

8. Quartò denique congruunt priores significatus cum Mundi definitiōnibus à melioribus authoribus proferri solitis. Audiatur enim Philosophus, qvicunq[ue] is fuerit, in libro de Mundo Cap. 2. *Mundus est ordo & digestio universorum, quæ à Deo & per Deum affer-
vatur.*

Audiatur Philologus, Martinius in Lexico: *Mundus est universitas creata.* Quid plures mēmorem? cùm passim occurant ejusmodi definitiones, qvibus non Terra modo, sed omne qvod corporeum est, imò omne qvod creatum, comprehenditur.

9. Jam qvaritur de Mondo, in ea significatione, in qua vox hæc sumi debet & à sapientibus solet, nempe vel in prima, *an possint dari plures rerum crea-
tarum universitates;* vel in secunda; *an possint dari plures corporum universita-
tes.*

10. Sive autem hoc, sive illo modo Mundi vocabulum sumseris, Cartesiana & nostra assertio negativa est.

10. Non antem qvaritur de Mundo in terra significatione accepto, an Deus possit plures Mundos efficere, sive *an possint dari plures terre.* Qvis enim hoc in dubium revocet? Deum posse plures terras, plures soles, plures planetas &c. condere, adèò non negamus, ut plures eum actu condidisse al-lerentium, qvām condendi potentiam ei denegantium opinioni potius acces-
sori simus.

11. Qvisq[ue] igitur nos defert apud populum, sicuti factum fuit à Cartesi-
mastigis, qvod negemus, Deum posse plures Mundos efficere, is maxima nos injuria afficit, neq[ue] enim loquimur de Mundo in ea significatione accepto, in qua homines (qvibus adversarii o-
piniones, qvas dicunt nostras, pro-
ponunt) ordinariè accipiunt, dum non aliud intelligunt, qvām qvod sen-
tiamus, Deum plures Terras non posse
creare.

12. Est

12. Est enim iterum iterumque attendendum, homines communiter Mundi nomine nihil aliud menti quam Terram exhibere, aut saltem hanc imprimis intellectui representare, quoties de Mundo sermo miscetur, idque ob causas th. 4. allatas.

13. Neque hic idiotas tantum intellico, verum etiam viros in aliis rebus eruditos, quatenus adhuc in multis cum vulgo, propter longam præjudiciorum consuetudinem, & loqui & sentire amant.

14. Ita Imperator in Corpore Juris appellatur *Mundi Dominus*. Ita Thiemius, qui nunc forte in manus incidit, in Dedicatione Polygraphiae Maximiliani Imperatorem ita alloquitur: *cum post Deum jure Mundi sis dominus*. Ubi nullus ambigere potest, quin terra & terrena intelligentur.

15. Ita *Cosmographia* appellatur, quæ præcipue orbis terrarum est descrip^{tio}. Nec opus est congerere scriptorum loca, in quibus mundi appellatio

Terz

Terræ tribuitur, sunt enim innumera.

16. Unusquisque solum attendat, quid in lingua vernacula ordinariè homines voce *Welt* designare consueverint, deprehendet ad Terram semper appellationem illam referri. Et hoc ipsum, quod in humana conversatione observatu facillimum, atque ex cansis suis clarissime in hac Philosophica translatione detectum est, etiam atque etiam considerare velim.

Assertionis nostræ probatio prior Metaphysica, cum solutione objectionum eò per-

tinentium.

17. Sententia nostra, non posse darsi plures Mundos, duobus præcipuis argumentis demonstratur, quorum alterum Cartesianum & Physicum in thesibus fuit expressum, alterum Metaphysicum in Schola Platonis dudum prolatum.

18. Platonis de Mundi unitate argumentum Marsilius Ficinus Compensatio in Timœum capitis 16. initio bre-

yissi-

vissimè sic effert: *Quod continet omnia, nihil relinquit extra se ipsum, ideoque est necessario unicum.* Plenius efferti si voles, tale erit: id, præter & extra quod nullum creatum esse potest, est necessario unicum. Atqui Mundus est id, præter & extra quod creatum nullum esse potest. &c.

19. *Major probatur ex notione seu definitione Unici.* Unicum quippe est, præter & extra & ultra quod aliud, quod sit ejusdem generis, naturæ, conditionis, nominis, nullum reperitur. Estque adeo propositio ita ex terminis per se nota, ut notior reddi non possit.

20. *Minor itidem ex definitione Mundis seu terminis perspectis innoscit.* Est namque Mundus rerum creatarum universum. At qui universum dicit, nihil excludit. Est Mundus totus. At qui omne dicit, nihil excipit.

21. Qui totam rerum creatarum congeriem, quanta est, Mundi no-

nomine & notione complectitur, uti facimus rectam rationem & sapientes viros imitati, nihil omittit ex iis quæ Deus creavit, sed omnia unius appellationis ambitu circumscribit.

22. Plures rerum universitates absque manifesta contradictionis in adjecto admissione statui non possunt. Qui enim universitatem ponit, plurimatatem tollit, & vice versa. Nam si in uno sunt omnia, quid manebit in reliquis?

23. Si Mundi plures sunt, non erunt profecto plures rerum universitates, verum, ut sic dicam, particularitates, seu partialitates, adeoque nec mundi erunt, ea quidem significacione, quæ hujus loci est.

24. Obtendat aliquis i. non posse tantopere urgeri universitatis appellationem, cum vis hujusce nominis ac notionis non sit ejusmodi, quæ omnem necessariò multiplicationem, eorum quæ universa dicuntur, perpetuò excludere videatur. Nam dum exem-

S pli

pli causâ. Lutetia Parisiorum dividetur in Universitatem, Civitatem, & urbem, non omnia sub universitate concludi manifestum est.

25. Et quid notius est, qvam dari plures Universitates Academicas, id est, in qvibus omnes liberales artes, omnes disciplinæ & facultates doceantur? Coloniensis universitas non tollit Lipsiensem, nec Lipsiensis Wittebergensem &c.

26. In Politicis subditi respectu gubernationis dividuntur in tribus & societates, iterum in collegia, corpora, Universitates. Collegium est societas subditorum ejusdem vel similis professionis. Corpus est societas ex diversis collegiis collecta & instituta. Universitas est societas e collegiis & corporum conjunctione concreta. Si talis subditorum universitas datur in Germania, qvis ideo inficietur, similem in Anglia dari posse, imò dari, similem in Gallia, similem in Hispania? Qvin imò palam est, in una eademque re-

republica plures, qvas dixi, universitates reperiri.

27. Qvare ut ad propositum revertamur, non repugnabit etiam plures simul mundos existere, qvamvis universitates & sint & habeantur, neqve una corporum naturalium universitas, cù qvod universitas est, excludet similem universitatem.

28. Resp. I. Quemadmodum dari qvidem potest universitas talium hominum v. g. Europæorum, Germanorum, Colonensium &c. alia universitas aliorum hominum v. g. Afrorum, Ægyptiorum &c. sed non ideo dari potest universitas hominum, absolute, nisi una: ita existere potest alia universitas talium corporum, alia talium; sed nulla universitas erit corporum, absolute & in genere & simpliciter, nisi una, nullum erit rerum à Deo creatarum universum, qvin omnia omnino creata includat.

29. Jam autem notandum est, Mundum, de cuius unitate disputamus, non considerari à nobis neqve definiri, tan-

quam universitatem horum aut illorum corporum, v.g. hujus terræ quam incolimus, hujus cœli, horum siderum; sed universitatem corporum simpliciter. Distingvatur itaque inter universitatem simpliciter ita dictam, & universitatem secundum quid; inter universitatem Metaphysice acceptam (argumentum enim nostrum Metaphysicum esse monuimus) & universitatem Moraliter aut Politicè sumtam: inter universitatem genericè dictam, & universitatem talium rerum, specificè appellatam.

30. Resp. 2. Quando Academæ universitates appellantur (& similis est similium exemplorum ratio) quod omnes in illis tradantur artes & facultates, tum voces illæ, *omne, universum, sumuntur distributivè in genera singulorum, hoc est, quod omnia disciplinarum genera ibidè proponantur, eodem modo, quo omnia animalia in arca Noë fuissent perhibentur, & Christus omnem sanasse mordum dicitur, ubi intelligimus omnia*

omnia genera aut species animalium & morborum.

31. Quando autem Mundus universum nuncupatur, eo quod res naturales omnes contineat, tum voces illæ, *omne, universum, non distributivè, sed collective accipitur, quod sensu omnes Apostoli duodecim, omnes planetæ septem, omnes partes idem quod totum esse dicuntur.*

32. Neque hoc probatione indiget, cum apud omnes Philosophos in confessio sit, Mundum esse ens quod vocant collectivum seu aggregativum, Mundi formam in ordinata collectione, congerie, aggregatione cunctiarum rerum naturalium consistere.

33. Obducat quispiam 2. Si Deus omnipotens mundum hunc augere potest, si corpora quæ fecit multiplicare valent in infinitum, si mille terras, milles soles condere, ut antea concessum fuit, poterit utique plures mundos efficere. At verum prius. E. & posteriorius.

34. Resp. De Minore non est necesse ut hoc loco laboremus, satis est Majorem esse falsam, connexionem ejus esse infirmam. Negamus igitur, si vel mille terras, mille cœlos crearet Deus omnipotens, plures ideo mundos seu plures rerum universitates fore. Negamus inquam, plures simul & semel existere posse, hæc enim quæstio est, quippe non iam cum Origine, ante hunc Mundum alios fuisse, & post hunc alterum fore, & illi semper successurum unum atque alium afferente, rem nobis esse volumus.

35. Quare affirmamus plures illas terras, plures soles, plures cœlos, sint quotcunqve & quantosqve esse velis, unicam rerum corporearum universitatē constituere, ab uno supremo domino & capite factam & gubernatam.

36. Veritas hujusce assertionis ex iam dictis per se cuivis innotescit, ad cuius tamen ubiorem explicationem notari velim, quod modo diximus, Mundum esse ens collectivum, totum aggre-

aggregativum, quale est exercitus, respublica, ecclesia: his enim exemplis utuntur Philosophi.

37. Jam si cogites, ad rempl. intellige Belgicam, accedere plures cives, plures civitates, plures regiones & provincias, Belgici imperii fines usque & usque dilatari & protendi, non ideo judicaveris, multiplicari republicas Belgicas, sed unam eandemque remanere existimabis, quoniam retinet ejusdem reip. formam, eadem rectortum capita, eundem regiminis atque administrationis modum.

38. Ita si possis cogitare, de quo am non ago, mundi terminos usque & usque protendi, corpora quæ vide mus & cognoscimus usque & usque multiplicari, non tamen ea propter posteris judicare, plures oriri rerum creatarum universitates, sed potius corpora illa omnia, unum idemque constituere universum, quia retinet idem caput, eundem gubernatorem, eadem formam, quæ forma, ut sæpe dictum, in

ordinata omnium rerum à Deo pen-
dentiū collectione & congregatiōne
omnimoda consistit.

39. Contra dicatur 3. Mundum esse
universitatē rerum aut creatarū, aut
creandarū, aut saltem creabilium.
Cum igitur plures res sint creabiles,
plures quoque mundos esse possibiles, ut
cunque *actualis*, res creatas continens,
existat unicus. Resp. Qvod in quæstione
versatur, illud est, an plures mundi
dari, h. e. simul & semel existere pos-
sint.

40. Si possunt existere, plures rerum
existent universitates (rerum inquam
creatrarū, non enim existunt, nisi crea-
tæ fuerint, & quamdiu creabiles tan-
tum appellantur, ut dici nequeunt exi-
stere, ita nec aliquæ, nec multæ, nec
universæ nominari queunt) qvod im-
possibile & contradictionē esse toties
nunc evicimus. Neque h̄ic ullum
argumentum produci, sed id qvod in
principio quæsitum fuit duntaxat peti,
aut qvod aliis verbis modò expressum
erat repeti video.

41. Op-

41. Opponantur 4. Si ex ipso no-
mine & notione Mundi tam est mani-
festum, non posse plures dari, qv̄ fit igit-
tur, qvod hoc adeo pauci videre hacce-
nus potuerint, qvod Mundi unitatem
ex naturæ lumine demonstrare nequi-
verint, imò indemonstrabilem plerique
omnes crediderint, qvod possibi-
lem Mundorum pluralitatem tot tanti-
que Theologi ac Philosophi sustinue-
rint? Adeone evidētibus obsistere
queant viri multum eruditii?

42. Resp. 1. Etiam quæ per se no-
ta sunt attendenti, in dubium voca-
ti possunt ab iis, qvi minus attendunt
& levius rem considerant. Vir sapi-
ens facile demonstraverit attendenti
ad id, qvod est ac dicitur *Dens* (nimi-
rum ens summe perfectum) plures esse
Deos contradictionem involvere ma-
nifestissimam. Et tamen qvi plures
esse Deos putaverint & coluerint, in-
cultissimis etiam nationibus fuerunt
innumerī.

55

43.

43. Quid qvòd inter ipsos Christianos extiterunt (sicuti de Ockamo, Gabriele, & Guilhelmo Var. accepimus) qui etsi consenserunt, unum tantum esse Deum , existimarunt tamen id non posse naturali ratione ostendi , at scilicet ex revelatione scripturæ cognosci ; cum tamen revera non actualis modò Dei unitas , sed plurium qvoque impossibilitas , naturali rationis lumine queat demonstrari .

44. Ut tandem cum Böetio fateri cogamur , communes esse nonnullas animi conceptiones & per se notas apud sapientes tantum . Profectò enim plurimæ veritates solâ attentione clarissimè innotescunt diligentì indagatori , qvæ ab aliis negligentioribus minusque attentis nulla unquam ratione cognoscuntur .

45. Resp. 2. cur plures Mundos existere posse , Viri etiam pī & docti sibi persuaserint , causa præcipua est , qvòd non satis attendentes ad vim & notionem Mundi , quatenus verè universum

à Deo

à Deo conditum designat , in hac quæstione ad terram potissimum respexerint . Nam utcunqve etiam initio tractationis suæ veram Mundi definitionem attulissent , postea tamen de Mundi unitate agentes , in vera Mundi notione immotâ mente non persisterunt , sed ad vulgarem & ex præjudiciis ortam notionem potius animo inclinantes , plures dari Mundos posse pronunciarunt .

46. Qvòd hoc ita se habeat revera , neqve à nobis sit confitum , satis liquet ex prima Disputatione Anti-Cartesiana (præter qvam nullam hactenus mihi videre licuit) Herbornæ habita , de quæstione : *an Deus possit plures uno Mundos condere* . Nam ibi Author prima thesi probaturus , Deum omni potentem plures mundos extra hunc Mundum posse efficere , apud Theologos & Philosophos Christianos in confessio esse , producit illum locum Paræi Comment. in Gen. Cap. 2. pag. 72. Epicuri illatio est fallacia à dicto secun-

dum quid, ad dictum &c. Qvievit enim Deus secundum quid, ut dictum est, non vero simpliciter. Non quievit de dens se otio, aut deserens opus creatum, ut architectus deserit navim vel domum constructam; non ludit otiosus cum angelis, aut circumambulat cardines Caelorum, negligens mundum: Sed non pergens creare alia nova opera, novos vel plures Mundos, sicut Anaxagoras finxit infinitos Mundos, NB. quod audiens ab eo Alexander Magnus illacrymasse fertur, quod cum plures mundi essent, ipse nondum uno esset potitus.

47. Ex qvibus verbis meridiana luce clarissimus est, virum illum ad Terram, cuius dominium appetebat Alexander, animum convertisse, non autem ad universum qva universum, quando ita pergit in seqventibus: Non plures vero creavit; non quod non posset, sed quia non voluit: unus hoc modo perfectus sufficiebat glorie ipsius patefaciendae, & hoc uno vult nos esse contentos, ut insana cupiditates hominum frenentur.

48. Qvod autem huic Viro contingit, idem aliis accidit quam plurimis; Jam enim in hisce Notis diligentissime inculcavi, idque hanc ipsam ob causam, assidue cogitandum esse, quam tenaciter animis humanis haret, vulgaris illa hujus Terræ pro universo Mundo acceptio atque usurpatio.

49. Qvod ipsum in præfatione de Infantia præjudiciis, illustribus exemplis ita declaravi, ut non putem addendum esse quicquam.

50. Et hactenus de argumento Platonico, quod impossibilem esse Mundorum pluralitatem evincit, sive Mundi vocem in prima, sive in secunda significatione capias. Nunc sequitur argumentum Cartesianum ex natura & notione Corporis desumptum, quod solùm probat unitatem Mundi in secunda significatione accepti, qvoniam apud Physicos, de substantiis corporeis agentes acceptio illa maxime trita & communis est.

51. Ita cum in Mundi definitione, quod sit *universitas Corporum*, duo habeantur, 1. *universitas*, 2. *Corpus*, & ex priori termino generaliori & Metaphysico, ductum argumentum satis opinor, fuerit explanatum: supereft ut ex altero etiam termino specialiori & Physico, rationem Cartesio duce arcesamus.

52. Vim Cartesiani argumenti ut intelligamus accuratius, paulo pleniore orationis forma, quam in thesibus factum est, illud hoc loco exprimere atque interpretari conabor. Si plures Mundi dantur, illi vel distabunt a se invicem, vel non distabunt, sed erunt contigi. At neutrum esse potest. Ergo nec plures Mundi possunt esse.

53. Nam si plures illi Mundi se contingunt, & non distant, certe unum tantum, non plures component, secus enim terra cum aqua, aqua cum aere, sol cum Cœlo Mundum unum constitutere non possent, nisi contiguas unitatem facere judicaretur.

54. Qvamobrem & ipsa nostra de pluribus Mundis controversia, non querit, nisi de Mundis discretis, a se mutuo separatis, disjunctis ac remotis, nempe an tales possint esse plures.

55. Si ergo distant plures illi Mundi a se invicem, debet inter illos aliquid interjacere, nam si nihil interjacet, si nihil interpositum est, quo separantur ac dividantur a se mutuo, profectio intelligi nequit distantia. Quid enim notius est naturali lumine, quam quod illa non distent, inter quae nihil interjacet? Quare si distant plures illi Mundi, qui dicuntur, debet interjacere aliquid, secus enim non distabunt.

56. Illud aliquid quod interjacet, eritne corpus, an spiritus? Spiritus si ve mens esse non potest, sive creatam, sive increatam dixeris, quoniam extensionis ac dimensionis omnis expers est, nec fieri proinde potest, ut subjectum sit distantia, ut intervallum longitudinem & latitudinem unius Mundi ad alterum determinet, quia longum & la-

tum esse, remotum & propinquum esse, distare & contingere, affectiones sunt rerum corporearum propriæ.

57. Illud igitur aliquid, quod interjacet unumque Mundum ab altero dividere ac determinare dicitur, erit corpus, erit res extensa, longa, lata & profunda, & continget ambos illos Mundos quos separare dicitur, & utrumque contingendo, non duos, sed unum unicum efficiet, utrumque, verbo duplicum, re unum & simplicem coalescendo faciet.

58. Tam diu enim & eò usque Mundos unus est, quamdiu & quousque res extensæ se contingunt, sibi cohaerent, sibi conjunguntur. Nec proinde plures mundi esse possunt.

59. Nunc ad objectiones veniamus, quarum prior est, ex nostra opinione sequi, Deum non esse omnipotentem, hac enim vulgaris est calumnia; hoc etiam redeunt rationes, quas Anti-Cartesianus habet supra dictæ disputationis thesi secunda, ubi Rat. 1. Si apud Denm omnia

omnia sunt possibilia, & ab eo omnia fieri possunt; sequitur Deum plures Mundos simul efficere posse. At prius verum. E. & post.

60. Rat. 2. Si Deus uno Mundo condito, plures condere non potest, sequitur cum viribus defectum & defatigatum esse, seu ad creandos plures Mundos viribus defecisse. Atqui falsum conseqvens, E. & antecedens.

61. Rat. 4. Quicquid non implicat contradictionem, id Deus potest efficere. Plures uno Mundos esse non implicat contradictionem: E. plures uno Mundos potest Deus efficere.

62. Has quidem objectiunculas recitasse, refutasse est. Sed in tironum gratiam vitia earum? indicemus. I. pertinet id quod in principio quæsitum fuit; evidentissime enim demonstratum fuerat in praefatione nostra, plures uno Mundos esse contradictionem implicare: nunc hic assumitur, non implicare contradictionem.

63. 2. Demonstratum fuerat, & nunc amplius demonstratum est, pluralitatem Mundorum, à parte rei & in conceptu nostro contradictionem involvere: nunc ipse sumit à parte Dei impotentiam & virium defectum argui ex eo, qvòd plures mundi non possint fieri h. e. qvod universum non possit esse non universum, factum non possit esse infectum.

64. Sed penè oblitus eram rationis tertiae, qvæ talis est cum limitatione nostra: *Quicquid est effectum vel objec-
tum infinitæ potentie Dei, illud à Deo in
infinitum multiplicari potest, si nempe
ista multiplicatio contradictionem
non implicet: Mundus est effectum in-
finitæ potentie Dei. E. Mundus à Deo
in infinitum multiplicari potest.*

65. Jam sapientes compello, futuros judices atqve arbitros, utra pars de potentia Dei sentiat honestius ac magnificenter, nosne, qvi vacuum nullum agnoscimus, omnia spatia imaginabilia materiâ à Deo repleta asserimus,

jam

jam in sua plenitudine cuncta regi, conservari, moveri ab eodem illo potentissimo rerum Conditore statuimus? an verò adversarii, qvi immensum erga Mundum volunt imaginari vacuum, ubi innumera corpora, infiniti Mundi non sint, sed esse possint, ubi se non amplius exerat divina creatio, conservatio, gubernatio, verum exercere tantum possit?

66. Si quis diceret, Vir ille non est doctus, qvia jam cunctas artes perdidit, nulla scientia est qvam non penitus imbibiterit: esset doctior, si nondum didicisset omnia, si plurima adhuc restarent, qvæ ubi & quando vellet, posset addiscere; si quis, inquam, hoc diceret, rideretur opinor, ab omnibus.

67. Porrò si quis diceret, Rex ille non est satis potens, qvia jam totum terrarum orbem sibi subjecit, qvia nullus in terra, nullus in mari locus est, ubi non dominetur: multò potentior foret, si multa regna, multas provincias

cias nondum expugnâset, nondum occupasset, nondum imperio suo subjecisset, at posset adhuc expugnare, occupare, subjecere, si qvis inquam talia proferret; infantibus esset ludibrio.

68. Atqvi idem planè dicunt de Deo nostri adversarii, & ingenti clamore dicunt, ut Cartesianis terrorem inquietant eosque toti mundo invisos reddant: scilicet ampliorem in eo Dei potentiam ostendi argentes, qvod nondum materiâ impleverit omnia, qvæ nos imaginari & recipere mente valemus, sed multa adhuc spatia vacua, & à nullo corpore occupata reliquerit, ubi non creator, non rector, non conservator existat, sed possit existere. Pudet, dum video viris doctorum titulo insignitos, adeò puerilis escitantiæ se malle reos agere, qvam ut cordatis desinat maledicere.

69. Posterior objectio est, qvæ fortè rationis speciem majorem præfert, ex nostra de necessaria Mundi unitate sententia seqvi, Mundum nullos habere limites

mites ac terminos, adeòqve esse infinitum.

70. Resp. i. Mens nostra in se deprehendit, qvòd non possit ad Mundi seu universi extensis terminos aut fines ullos pervenire, nam usqve & usqve occurruunt ipsi spatia extensa, nec potest ad eum locum pertinere cogitatio humana, ultra qvem extensa nulla collocari intelligantur. Sed inde perperam interficitur, nullos revera mundi esse fines, nullos in eo terminos dari, qvos angelus quispiam aut Deus ipse cogitatione comprehendere valeat.

71. Qvæ enim ista consequentia? nulli fines a nobis cognoscuntur. E. nulli reperiuntur, quasi finitus noster intellectus omnia qvæ sunt, aut posset aut debeat comprehendere. Mundi igitur fines non definimus, terminos non determinamus, atqve ea propter respectu nostri indefinitum atqve indeterminatum dicimus, revera infinitum esse in se non asseveramus.

72. Resp. 2. Si diceremus, Mundum esse infinitum, quid inde incommodum? Respondent: Num tantum est infinitum, Deus: sic autem duo darentur infinita. Ut nugari tandem & ineptire desistant, scire debent, quo sensu Deus sit ac dicatur infinitus, quia sensu Mundus diceretur si tantus esset.

73. Uthoc accurate cognoscatur, trium generum distingvenda sunt attributa. Alia enim soli Deo convenient, Mundo autem corporeo nullo modo insunt, qualia sunt intellectus, voluntas, benignitas, justitia &c. Alia soli Mundo, Deo autem nequaquam competit, cuius generis sunt extensio in longum, latum & profundum, figura, situs, motus, quies, caritas, dignitas &c. Alia denique Deo & Mundo communiter quodammodo attribuuntur, veluti duratio, unitas, &c. & in genere perfectio.

74. Jam Deus quo sensu dicitur infinitus. Resp. Infinitus dicitur i. ratione attributorum primi generis, quae ipsi-

ipsis propria sunt: ita infinita est Dei justitia, immensa sapientia, summe bonus est, summè verax &c. 2. ratione attributorum tertii generis, quæ generaliter spectata Mundo quodammodo communia sunt:

75. Sic ratione durationis infinitus est, unde æternus dicitur, perfectione infinitus est, quia est ens summè perfectum. Adeoque omnia quæ sunt in Deo sunt infinita, immensa, summa, maxima, optima: & hoc est quod Theologi volunt, quando infinitatem Dei per cætera ejus attributa æqualiter fusam esse ajunt.

76. Verum ratione attributorum secundi generis, Deus nullo modo dicitur infinitus, quoniam extensionem, figuram, motum, & quæ sunt ejusmodi nullo pacto recipit divina essentia.

77. Qvo autem sensu Mundus dicetur infinitus, si dicatur? Resp. i. non ratione attributorum primi generis, ut quæ nullo modo insunt corporeo rerum universo, neque enim mundus intel-

intelligens est, aut volens, aut verax, aut sapiens, multò minus infinitæ intelligentiæ, summe sapiens &c. sunt namque ejus generis attributa rerum intellectualium propria.

78. 2. Non ratione attributorum tertii generis, non enim æternus est, non simplicissimus, non potentissimus, non perfectione summa prædictus.

79. Relinqvitur ergo; ut Mundus dicatur infinitus ratione attributorum secundi generis, nempe ratione extensis infinitæ, longitudinis, latitudinis, profunditatis, id est, tali infinitate, qvalis in Deum cadere nullo modo potest.

80. Sicut enim Deus unus est tali unitate, cui par aut similis non inventitur: ita infinitus est tali infinitate, cui par aut similis dari nequit. Et vice versa Mundus unus est tali unitate, qvalem Deus non admittit, infinitus est (si est) tali infinitate, à qua divina natura est alienissima.

81. Eqvibus omnibus cum apertissime pateat, Deum non posse ullo modo dici infinitum, quo sensu Mundus dici potest, nec Mundum ulla ratione infinitum appellari, quo sensu Deus verè satis actantus prædicatur, ridiculus sit, qvi amplius objectionem de duobus infinitis moverit. Plato Materiam vocat infinitam, Deus est infinitus: Ergo duo dantur infinita. Nugæ Punctum est res simplicissima, Deus est res simplicissima. Ergo duo dantur simplicissima. Nugæ & logomachiae meræ.

82. Sed abrumpendi fili tempus est. Tædium namqve Subit animum, de re, qvæ intelligenti solis lune clarior est, plura scribere: Qvare nunc ad fontes mecum paulisper benevolum lectorem deducam, ut sordes, qvas in hac materia cum lutulentis hominibus conversando contraximus, limpida qvam citissimè eluamus.

83. Placet autem aliquamdiu in hoc naturæ miraculo, anteqvam finem ope-

ri imponamus, immorari. Qvî nimurum illud fiat, ut Mare non redundet, in qvod tot tantaqe flumina se exonerant? Aut qvomodo fontes & fluvii à mari prodire poslunt, cum saxe in montium jugis scaturiant, qvò aqua propter gravitatem ascendere nequit? Et cum fontaneæ aquæ & fluviales sint dulces, marinæ salsaæ, qva ratione contingere valeat, ut vel hæ ab illis, vel illæ ab his originem trahant? De ejusmodi rebus disquisitionem instituere naturalium rerum indagatorem, non modo rationi consentaneum est, verum etiam ad optimi Creatoris potentiam ac sapientiam prædicandam utilè. Ab eo igitur, qvi Fons omnis veri & boni est rogamus, ut

DE FONTIUM ORIGINE.

brevi dissertatione acturi, ea tantum quæ vera sunt & bona, ad eruditorum censuram, rudiiorum institutionem profseram. Qvod ut fiat methodo qvam fascillima, per Quæstiones & Responsiones dilucidas rem totam pertractare conabimur.

Quæst,

Quæst. I. Ecquod nam ergo primum est & potissimum fluviorum fontiumque principium? Resp. Mare, dicente Salomone, Eccl. i. cuius ductu philosophari modò animusest. Nec videtur Plato ab ejus dicto jam citato valde alienus existisse, qvando in calce Phædonis ita scribit: *Hiatus in quem omnia confluent flumina, atque inde rursus effluentur.*

Quæst. II. Sed qvomodo primum è mari egreditur aqua, ut eò perveniat ubi fontes efficit? Resp. In terra cavitates esse multas, multos meatus & hiatus ambigine eqvit. Aquæ verò parva copia quantum se insinuare soleat in quaslibet etiam exiguae cavitates, qvam studiose qværat exitum, præser-tim si agitata fuerit, nemo nescit. Immensa aquæ copia in mari est, qvod à ventis validissimo impetu commovetur, admirabili æstu tumefactum à Lunæ corpore attollitur ac deprimitur. Nec proinde dubium esse potest, qvin aqua marina vi ponderis & reciproci

motus vehementiā per terræ qvos-
cunqve meatus protrusa longè lateqve
diffundatur, adeo ut infra campos &
montes magnæ cavitates aquis plenæ
reperiantur.

Qvæst. III. Facile percipio, ad i-
mas istas profunditates penetrare posse
maris aquam, at qvo pacto inde in
sublime attollatur, ut non solum ad ex-
teriorē camporum superficiem, sed
ad summa qvoqve montium juga per-
tingat, nondum capio? Resp. Attolli-
tur ex istis cavitatibus aqua, qvatenu-
si caloris subterranei in vapores reso-
luta per meatus, qvos ubique invenit,
ascendit. Nihil enim aliud sunt vapo-
res, qvam aquæ particulae ope caloris
ab invicem disjunctæ, acceleriter mo-
tæ.

Qvæst. IV. Sed estne ignis aut ca-
lor in terra, elemento frigido, à qvo
talis procedat in aquas operatio? Resp.
Esse ignes subterraneos eosqve pluri-
mos & maximos, satis cognoscitur ex
Atna, Vesuvio, Hecla & aliis monti-
bus

bus ignes ingenti copia eructantibus.
Et per est verissimile, ejusmodi ignes
in plurimis etiam terrarum locis non
erumpere: at solū per meatus dif-
fundere calorem suum qvaqva ver-
sum, ut calor in animantibus à corde
per omnia viscera & corporis membra
dispergitur. Argumentum qvoqve
ignibus hisce thermæ præbent, è terræ
planicie, qvandoqve etiam è monti-
bus profluentes. Ne nunc dicam de
terra motibus, qvi ab iisdem ignibus
excitantur. Fiunt enim, qvando sul-
phureæ & bituminosæ exhalationes in-
rimas & cavitates terræ magnâ copiâ
affluentes & pingues ibi crassosqve fu-
mos componentes, ab ignis aliquâ
scintilla protinus ita accenduntur, ut
subito rarefactæ omnes carceris sui pa-
rietes magnâ vi concutiant.

Qvæst. V. Admitto sane ignes sub-
terraneos, sed eorum calorem adeo
per universum terræ globum esse di-
stributum, ut omnis aquarum in vapo-
res transmutatio inde proficiscatur,

nondum plane convincor. Resp. Neque illud fieri necesse est. Datur enim in terra calor à sole productus, qui ut latè per eam diffunditur, ita profundè satis in eam penetrat.

Qvæst. VI. At cum radii solares in exteriore telluris superficie terminentur, quā fieri potest, ut ad profundiora ejus deveniat calor ab illis excitatus? Resp. Particulæ terrestres à radiis solis impulsæ, alias sibi vicinas, ad quas icti radii non pertingunt, agitant, hæcque rursus alias, & sic conseqventer. Cumque semper tota terræ medietas à sole illustretur, tot ejusmodi particulæ simul commoventur, ut quamvis lumen in prima opaca superficie subsistat, calorem tamen ab eo genitus, usque ad interiores terræ partes debeat pervenire, ubi metallorum & fossilium (uti planitarum circa exteriorem telluris superficiem) generationem promovet. Verum dari calorem in terra, undecunq; tandem oriatur, vel ex eo manifestum est, quod fumare soleat ipsa, si hiberno effodi-

effodias tempore, qvodque cito liquescat nix, qvæ agro ceciderit recens ina-

rato.

Qvæst. VII. Jam itaq; didici, ignem & calorem per terræ interiora pa- sim dispergi, & experientia edocitus no- vi, naturam hanc esse caloris, qvod aquam rarefaciat inq; vapes resol- vat, qvod in aqua ad ignem calefacta & radiorum solarium in paludes & humi- da loca operatione quotidie observo; sed scire velim, ubi & à qua causa illi va- pores in aquam, id qvod requiritur ad fontes constituendos, iterum coeant & congregentur? cur non retineant semper vaporum formam, per terram huc illuc commoti aut in aërem egressi? Resp. Eqvidem vapes ejusmodi non pauci ad nubes usque attolluntur, at- que ibi frigore postea concrecentes, pro vario concretionis modo, pluvias, nives, grandines producunt: attamen eorum plurimi quo minus in aërem a- scendant, frigore, circa superficiem terræ calidioribus partibus succeden-

te, impediuntur, eoqve torpescentes in aquam revertuntur. Qvæ causa est ut hiberno tempore largior sit aquæ effusio, etiam si non sint imbræ: sicuti matutino quoqve tempore largior est quam pomeridiano, propter noctis præcedentis frigus. Etenim exiguis calor sufficit ad aquam in vapores resolvendam, namqve pannus v.g. lineus aqua perfusus facilissime exsiccatur in hypocastro tepido, qvæ exsiccatio fit aquæ in vapores resolutione. Similiter exiguum frigus satis habet ad vapores in aquam cogendos efficaciam, quod in vaporibus, qui vitreis fenestræ nostris adhærent, quotidianè experimur, dum levi frigore in guttulas aquæ condensantur, qvæ inde in terram sèpè defluunt. Etiam exiguum operculi frigus efficit, ut halitus ex olla evaporang in aquæ guttulas concrescat.

Qvæst. VIII. Quo autem pacto evenit, ut vapores ad montium juga, identidem ascendant, tam longum iter prius.

prius emetientes, quam in aquam revertantur? Resp. Terræ meatus, per quos vapores sursum tendunt, eos usque continuantur: atqve facilius per istiusmodi meatus vapor ascendit, quam à terræ particulis suffulcitur; quam per aerem, cuius fluidæ ac molles particulae ipsum ita fulcire non possunt. Eadem de causa alimentum faciliter sursum movetur per poros stirpium & segetis, quam per liberum aëra, unde agri frumento & horti arboribus consti magis emaciantur quam non consti. Parque fumi, melius per caminum quam per apertum aërem assurgentis, ratio est. Suntqve hæc dignissima, qvæ observet naturalium rerum indagator.

Qvæst. IX. Qvando jam circa superficiem terræ vapores in aquam sunt conversi, qui fit, quod hæc aqua mox in conspectum nostrum prodeat, aut certe latente cursu per vias parum distantes ab exteriori telluris superficie decurrat; cur non potius descendit ite-

F. S. rum.

rum per eosdem illos meatus, per quos vapor ascenderat? Resp. Meatus illi, per quos vapor ascendit, nimis sunt angusti, quam ut aqua per eosdem descendere valeat. Longe enim tenuiores vaporum sunt particulæ, quam aquæ guttulæ, unde in resolutionibus chymicis observare licet, quod milliones aliquot vaporis portiunculæ subinde vix unam guttam aut sensibilem mollem componant.

Qvæst. X. Quidnam igitur aqua per angustos terræ meatus descendere negavit, per quos vapores ascendere, necessarium est, ut in exterioribus terræ partibus vias inveniat latiores. Resp. Ita est: & haec via aquam oblique secundum vallium & camporum declivitatem ducunt, atque ubi istæ subterraneæ aquarum viæ, in superficie montis, vel vallis, vel campi terminantur, ibi fontes scaturiunt, quorum rivi multisimil congregati flumina componunt perque decliviores exterioris terræ superficiem partes in mare labuntur. Sic

ni-

nimirum perennium fontium & fluviorum aquæ ad mare tandem redeunt, ex quo primum venerant. Aliis interim rivi & fonticulis, minus diu fluentibus, pluviae ortum præbere possunt, sicut etiam eadem perehnes fontes & fluvios augent, quos fervens solis æstus minuit.

Qvæst. XI. Hactenus ergo fluviales & fontanas aquas à mari præcipue derivasti, utpote à quo & ipsæ pluviae magnam partem: Verum ut plenius ea de re persuadeas, cupiam illum generationis fontium modum similibus quibusdam exemplis ulterius mihi declarari. Resp. Jam jam de Chymicis resolutionibus loquerebamur, à quibus exemplum satis appositum capere possis. Nam sicut in distillationibus ab igne supposito ex humidis corporibus multi vapores per Alembicum elevati, in frigidulo vasis illius capite in guttas concrescunt: Ita aqua in terræ cavitatibus contenta à calore in vapores resolvitur, qui vapores ubi ad ter-

T 6

ræ

ræ superficiem frigidorem pervenere, formam aquæ recipiunt.

Qvæst. XII. Habesne aliud insuper exemplum in promtu? Resp. Habeo tam clarum & evidens, ut nihil cogat ad Chymicorum abire officinas, cum hoc ubi vis occurrat solidoque sententiam nostram firmet argumento. Rationi enim quam maximè congruum est, ut talis existat generationis aquæ modus sub terra, qualis est super terram. At super terram pluvia in aëre generatur, quando vaporess, ex aqua aliisque humidis corporibus vi caloris assurgentess, in frigidiore aëris regione cursus condensantur. Qvare etiam in terra vaporess, ex aqua in profundis cavitatibus latente beneficio caloris educti, tandem frigore locorum per quæ commeant, in naturam aquæ converti, aut potius reverti necesse est.

Qvæst. XIII. Confirmata mens est, ut vix quicquam desideret amplius, nisi quid ultra velis adjicere. Resp. Ne quidem extra temet ipsum egredi opus,

opus fuisset, cum in tuo corpore, veluti in minori mundo, exempla generationis aquæ, cuiusmodi in majori mundo nunc annotata fuit, habeas luculenta. Ita vaporess è stomacho ascendentess frigore cerebri condensantur, posteaque in os & aliò depluunt. Ita lachrymæ fiunt ex vaporibus qui egressi sunt ex oculis. Ita sudor provenit ex vaporibus, qui exentes ex aliis corporis partibus in earum superficie in aquam convertuntur. Quorum omnium consideratio attentior, ubiorem, quam ut in præsenti par sit adjungere, tractationem postulat.

Qvæst. XIV. Satis jam perspexi, quomodo ex mari fontes, vel in ipsis montium jugis, oriuntur, quomodo rivi eorum juncti flumina, in mare tandem decurrentia, progignant. At cum assidue multa flumina, multæ aquæ ex montibus versus mare fluant, qui fit, quod cavitates, ex quibus ascendunt, non exhaustiuntur, nec mare augeatur?

Resp. Cùm patentissimi sub terra sint meatus, tanta semper aquæ quantitas à mari versus radices montium redit, quanta ex montibus egreditur, & hinc fontium fluyorumque perennitas dependet. Nempe circularis quidam hinc aquarum est processus, perinde ut in aëre super terram, ubi ex aqua vapores attolluntur, vapores in aquam condensantur, quæ aqua denuò in terram depluit, inde rursus vapores, atque ita deinceps.

Qvæst. XV. Cum igitur fontes è mari proficiscantur, mare autem falsū sit, marum est, qvod aquæ fontanæ non retineant illam falsedinem? Resp. Mirari desanes, si scias maris aquæ constare ex particulis aliis dulcibus, aliis falsis, qvodq; falsæ rigidæ sint & inflexiles, dulces contra molles & flexiles. Ex hoc enim intelleges, solas dulces particulas in fontes ascendere, cùm sint tenues ac flexiles. Salsas verò, cum rigidæ existant ac duræ, nec facile in vapores mutari, nec ullo modo per obliquos terræ meatus transire posse.

Qvæst.

Qvæst. XVI. Unde verò constat, talem esse aquæ marinæ particularum differentiam? Resp. Cum nulla in rerum natura corpora dentur tam accurate similia, quin semper aliquantulum in magnitudine & figura differant, moroso nimis sit ingenio, qui difficulter sibi persuaderi patiatur, etiam aquæ partes non omnino æquales esse, & præsertim in mari (qvod ingens est aquarum omnium receptaculum) quasdam tam crassas inveniri, ut instar aliarum diversimodè flecti nequeant. Hæc sanè causa est, cur aqua maris arenâ percolata dulcescat, quia nimirum partes salis cum sint inflexiles, non ut partes aquæ dulcis, per exiguos illos anfractus, qui circa sabuli grana reperiuntur, labi possunt. Ac denique gustus ipse differentiam patefacit. Salsæ enim partes, in euspides erectæ ac telorum instar vibratæ lingvæ poros ingrediuntur, atque ita ad illam pungendam satis altè penetrant. Ex adverso partes aquæ dulcis molliter supra

fin.

lingvam fluitantes & semper in latera,
ut ita dicam, jacentes vix gustu per-
cipi.

Qvæst. XVII. Ex dictis agnosco,
fontes & fluvios, cum non nisi ex aquâ
per multam arenam terramve percola-
tâ vel per vapores sublata constent, mi-
nimè falsos esse oportere. Sed quare-
re adhuc dubitet, cur mare non
dulcescat propter tota tanta flumina
dulcia in illud influentia? Resp. Si ma-
jus flumen sit, majorique cum impe-
tu in mare labatur, per intervallum
aliqvod suam retinet dulcedinem, sed
postea cum salsa maris aqua ibi relicta
iterum miscetur, qvæ mixtio statim et-
iam contigit, ubi minores fluvii in ma-
re veniunt. Nam aqua salis
quantitas in mari perpetuo remanet.

Qvæst. XVIII. Cum hæc ita se habe-
ant, uti jam sicut expositum, quo igitur
paecto evenit, ut in qvibusdam puteis à
mari valde remotis multum salis repe-
riatur? Resp. Qvoniam terra multis
sumis satiscit, fieri potest ut aqua salsa
non

non percolata ad puteos illos perve-
niat; sive qvia maris superficies æqvè
alta est atqve ipsorum fundus, sive e-
tiam, qvia ubi viae sint satis latæ, faci-
lè salis particulæ, à particulis aquæ
dulcis, per corporis duri acclivitatem
sursum evehuntur. Hoc ex eo con-
firmatur, qvod in nonnullis montibus
magna salis moles instar lapidum con-
creta visantur. Qvippe aqua maris
eo ascidente, ac particulis aquæ dul-
cis ulterius pergentibus, solum sal in
cavitatibus, qvæ casu ibi fuerunt, re-
mansit, ipsasqve implevit.

Qvæst. XIX. Qvoniam eo jucunda
speculatione devoluti sumus, ut salsa
& dulcis aquæ differentias cognoveri-
mus, placet illi materiæ paulisper in-
sistendo, alias de mari & aqua qva-
stiones eodem pertinentes proponere.
Rogo itaque cur sal carnium corruptio-
nem impedit, dulcis vero aqua eas
corrumpat? Resp. Particulæ salis pun-
ctum ingressè poros carnium non modò
humiditatem, qvæ mater putredinis,

tollunt: Verum etiam tanquam paxilli inter carnium partes defixi, immota & non cedentes illas sustinent atque impediunt, ne aliae magis lubricae seu plicatiles immixtae illas concutientes loco dimoveant, & ita corrumpant corpus quod componunt. Hinc etiam carnes sale conditae paulatim magis indurescunt. Aqva vero dulcis dum se variis modis inflectit atque hoc illuc porosum carnium illabitur, faciliter illas emolliendo dividit & corruptit.

Qvæst. XX. Cur naves, qvas mare sustinuit, aliquando merguntur in flumine? Resp. Qvia marina aqva propter partes salinas, qvæ crassiores, solidiores ac proinde etiam graviores sunt, magis resistit. Eadem de causa naves non altè adeò immergeantur in mari qvam in flumine. De lacu Asphaltite (qvi Hebreis mare salis sive salissimum ob salinam, aliis mare mortuum ob immobilitatem dicitur) legimus, quod etiam natare nescii, si vindis a tergo manibus injiciantur, in eo fluitent, nec mergantur, sicuti Vespa-

spasianum ipsum expertum fuisse Josephus belli Judaici scriptor memoriae prodidit. (tales Thermæ perqvam profundissimæ reperiuntur etiam in Transylvania prope Iordanum) sed præter salis copiam fortassis alia multa ac diversa in hoc mari, & Thermis perpendenda sunt. Qvædam aquæ præ tenuitate nimia, nulla sustinere navium onera perhibentur.

Qvæst. XXI. Cur æstate ac sub zona torrida mare salius experimur? Resp. Qvia Sol continuò ex superficie maris tenuiores dulcioresqve partes educit & in vapores agit, relictis salinis & crassioribus. Qvare ubi solis æstus est vehementior, plures ejusmodi vapores excitantur, qui in aquam redacti non semper eodem relabuntur unde venerunt, sed plerumqve aliorum deferuntur. Hanc solis & aquarum naturam cum attenderent Ægyptii, è Nilo ad diurnum potum noctu potissimum hauriebant aquam, priusquam sol, quod tenuius dulciusqve foret, extinxisset.

Qvæst.

Qvæst. XXII. Cur aqua, qvæ igni apposita diu bullit, postqvam refrigerata est, celerius congelatur, qvam frigida & cruda? Resp. Qvia tenuissimæ ejus partes qvæque propter inflextendi facultatem maximè congelationi resistunt, ex ea, dum bullit, egrediuntur.

Qvæst. XXIII. Cur madefactis velis velocius procedit navis qvam exsiccatis? Resp. Qvia aqua stipat & cludit velorum poros & meatus, unde hæc magis obsistunt vento, transeundi facultatem ei minorem concedendo, maiorem propellendi.

Qvæst. XXIV. Potestne naturalibus de causis accidere, ut sanguine pluât? Resp. sanguinem colorem pluvia facile acqviret, si gerita fuerit è vaporibus, qvi exhalant è locis minio aut rubrica abundantibus, qvomodo nix in Armenia qvandoque est rubra, ob minimum quo regio illa abundant; vel ex locis sanguinolentis post magnas hominum clades; vel sanguinem

neum colorem induere possit propter calorem solis intensem, qvomodo febricitantium urinæ, item aquis per calidos cineres percolatis rubor conciliatur.

Qvæst. XXV. Cur halitus oris, sudor item calentium eqvorum magis videntur hieme qvam æstate? Resp. Tempore hiemis halitus & sudor propter aëris frigus specie densi & obscuri fumi crassescit, qvandoque etiam in aquam concrescit, imò intensiori frigore barbis & pilis adhærens congelascit: Contra vero æstate propter ejusdem aëris calorem dissipatur & non appetet.

Qvæst. XXVI. Sunt ne plures vapores in aëre æstate cùm non videntur, an verò hieme cum videntur? Resp. Plures esse hieme, vulgus opinatur, tu vero scies æstate plures esse, qvia fieri nequit, qvin sol torridus æstivo tempore, longioribus diebus, lacui aut locis paludosis incumbens multò plures vapores ex iis elevet, qvam hieme inde queant elevari. Tum enim temporis notatur mani-

manifestissimè, magis aquas subsidere & decrescere, quam aëre frigido & obscuro. Plus etiam è corpore animalis æstivo tempore exhalare rationi patet, quamvis halitus tum non appareat, ob causam præcedente responione allatum.

Qvæst. XXVII. In qvo consistit natura ventorum? Resp. Generatim quidem omnis aeris agitatio sensibilis ventus appellatur, à quacunq; etiam causa proficiscatur: ita aér è folle elisus aut flabello impulsus ventus dicitur. Speciatim verò venti latius diffusi terrasq; & maria perstantes, nihil sunt nisi vapores moti, qui dilatati ex loco arctiori, in qvo erant, in aliud ubi facilius expandantur, transeunt.

Qvæst. XXVIII. Cur saepius in littoribus venti interdiu à mari, noctu à terra spirare deprehenduntur? Resp. Sol dum splendet, communiter plures vapores ex mari quam terra attollit, quia terra multis in locis exsiccata non tantum materia illi quam aqua suppeditat:

&

& contra, cum Sol recessit, calor reliquo, plures è terra quam è mari elevat, quia terra diutius quam mare calorem sibi impressum retinet. Ex quo autem loco plures vapores veniunt, inde venti spirant. Ignis etiam fatuus ob eandem causam viatores noctu ad aquam ducit, indifferenter enim aëris cursum sequitur, qui eò à vicinis terris propterea defertur, quod ille qui ibi est magis, condensetur.

Qvæst. XXIX. Cur saepè venti juxta maris littora cum fluxu illius & refluxu mutantur? Resp. Qvoniam aér, qui superficiem aquarum tangit, motum illorum quodammodo sequitur, Eadem ratio est, cur tranquillo aëre circa majora flumina placidi quidam venti cursum earum secuti sentiantur.

Qvæst. XXX. Quid sit, quod eadem tempestates gravius in mari quam in terra senviant? Resp. Quia vapores ex aquis emissi semper humidiiores & crassiores sunt illis, qui ex terris attolluntur, quippe idcirco multo plus aeris

at-

atque exhalationum secum vehunt. E-
andem ob causam idem ventus, qui in
una regione siccus est, in alia humi-
dus esse potest. Ita venti meridiona-
les humili ferè ubivis, siccii in Ægypto
feruntur, ubi terra Africæ, sicca &
combustæ, materiam iis subministrat.
Hactenus de fontium Origine, nec non
aqvis, vaporibus & ventis. Coroni-
dis loco addam ex scriptis Clarissimi
Claub. adhuc unicum, breviter tamen,
nimirum:

OMNIS NATURA EST CONSERVATRIX SUI,

Seu nihil tendit ad sui ipsius destru-
ctionem.

1. **A**xio ma præsens Cicero variis
in locis usurpat, ut 5. de Finib.
Omnis natura est conservatrix sui, 4.
de Finib. *Omnis natura vult esse conser-
vatrix sui*, & ut salva su, & in genere
conseruetur suo. Qvamvis autem ipse
sæpe

sæpe illud ad hominem & animalia ap-
plicare deprehendatur, verb. gr. 3. de
Finib. se ipsos omnes natura diligunt. 4.
de Finib. *Omne animal simul atque est*
ortum, applicatur ad se diligendum, est-
que in se conservando occupatum, item :
omne animal ipsum sibi commendatum
est . ut se & salvum in suo genere,
genere, incolamque esse velit. item :
Omne animal seipsum diligit, ac simul
ut orium est, ita agit , se ut conservet
&c. Si tamen consideremus elogia, qvi-
bus Philosophi naturam nobis descri-
bunt (qvod sedula, vigilissima, con-
tinenter operi intenta su, qvod nihil
frustra agat, intendat id quod est perfe-
ctissimum, semper eodem modo agat, &
retineat iura nec ea mutet) nihil prohi-
bebit, qv minus effatum illud ad o-
mnes naturas creatas extendamus; &
si qvidem nolimus illud affirmativè
cum licerone efferre conservandi voca-
bulo, poterimus minori cum erroris
confusionisve periculo negativè cum
Cartesio P. II. 37. nihil ad sum contra-
rium seu ad destructionem sui ipsius ex

propria natura ferri potest; aut cum Platone in Phaedon. contrarium sibi
contrarium fieri nunquam. Neque ad
creatam duntaxat naturas, verum ad
ipsam etiam incretam hoc effatum
llicebit accommodare, quando & Philo-
sophus noster de Deo loquens ait,
ipsum esse qui se revera conseruet. Resp.
1. pag. 51. & alibi: quanquam diligenter
monet, non intelligi conservationem,
qua fiat per positivum ullum causae effi-
cientis influxum, sed tantum quod DEI
essentia sit talis, ut non possit non senser-
per existere. Nam de rebus Metaphy-
sicas planius mentem suam expressuris
multa necessitate extorqueri vocabula
(ut quando 'ens' definiunt, quod
habet essentiam, quando Deus diciunt
habere naturam divinam &c.) quæ
transcendentaliter, ut loquuntur, & si-
ne omni imperfectionis notatione acci-
pienda esse, omnes earum non penitus
ignari sciunt, ut mirum sit, quod Car-
tesianam phrasin tolerare nequeant.
Itaque latissimo communissimoque
sensu propositum axioma interpreta-
bimur

bimur proqve Metaphysico ac tran-
scendentali habebimus, ut jam factum
ante aliquot annos Element. Ontoso-
phix, aph. 74. Claub.

2. *Omnis natura, sive fit cognitio-*
nis & intellectus expers, ut rerum merè
corporearum, sive intellectualis fit, ut
hominis. Est conservatrix sui, id est,
omnium suarum affectionum, perfe-
ctionum, attributorum. Qvo vero
modo conservatrix esse dicatur, distin-
& exponendum est de re corporea in-
tellectus experte, ac de ea quæ est in
intellectus particeps.

3. Et de corporea qvidem natura non
alio sensu id accipi volumus, quam quæ
tenus unaquæque res, ut simplex est &
indivisa, quantum in se est, in eodem
semper magnitudinis, figuræ, situs,
motus, quietis statu permanet, ne-
que mutatur unquam nisi à causis ex-
ternis. Cart. P. II. 37. Manere rem dico,
in quantum simpliciter in tali statu,
in quali est, persistit ac durat, non au-
tem quod cum notitia & voluptate,
aut voluntate aliqua conetur sic per-

sistere. Talia enim in rebus corporis, quorum essentia tota posita est in extensione in longum, latum & profundum, concipere non licet.

4. Unde liquet, improprie hic usurpari servandi aut conservandi vocabulum, quippe quod in rebus cognitione & appetitu donatis propriis adhibetur. Sed vulgo, res plus quam toto cœlo distantes confundere ac de rebus extensis perinde ac de cogitantibus & sentire & loqui assveto, condonandas sunt ejusmodi loquendi formulæ.

5. Illis vero, qui aliis ad sapientiam prælucere aut accurati præ reliquis videri studebant, ut loqui forte eodem modo licuerit, sentire certe idem non licebit. Talis fuit ex innumeris vir celeberrimus Daniel Sennertus Hypomn. Phys. I. Cap. 5. ita scribens: cum res quælibet sui conservationem postuleret, eam consequitur cum figura contrariorum, tum motu ad similia, & similiūm attractione. Hinc ignis igni-

unit-

unitur, aquam vero, ut contrarium, fugit, & contra. Hinc in aerem vel pulvrem effusa vel sparsa sese in guttulas globosas cogit, ut se à terra & aere tueatur. Hinc parva flamma à majore velocissime attrahitur, aut minor ad maiorem movetur. Idem fit in aere. Hinc bullæ ille, in aqua fuit, una ad altam appellat, & eo velocius, quo propior fuerit. Et post pauca: ut appetitus quidam naturalis, quem vulgo instinctum naturalem vocant, datur: ita etiam datur cognitionis aliqua naturalis, à sensu & intellectu distincta. Nihil enim potest alicuius appetere, ut gratum, vel fugere, ut ingratum, nisi cognitione aliqua naturali illud gratum & sibi conveniens esse cognoscatur. Nihil enim appetitur, nisi quod prius agnoscatur. Hac cognitione plantæ alimentum sibi conveniens agnoscunt, appetunt, & ad se trahunt; quod vero sibi conveniens non est, relinquent, aliud in corticem, aliud in fructum convertunt.

6. Pulchra hæc multis videbuntur axiomatis nostri exempla sive testimonia,

nia, ut visa nobis olim sunt pulcherrima, cum res extensas & cogitantes non distingveremus. Sed jam recircere cogimur, si non alia de causa, certe ideo, quod rebus, quorum tota essentia est extensum esse, cogitationem & appetitum affigunt, neque cogitationem tantum, sed intuitivam quasi cognitionem quendam: quae si rebus istis inest, multo perfectiores ipso fuerint homine: Neque enim huic datum est, ut res omnes sibi convenientes aut disconvenientes simplici mentis intuitu contemplemur.

7. Atjuxta sensum tertia thesi expositum, axioma nostrum insignem habet in universa *Physica* usum, atque ex eo tollitur grande illud hominum præjudicium, quod omnia vel saltem pleraque quae moventur, ad quietem tendant & sua sponte moveri desistant. Nam cum res in eodem semper statu maneat, in quo semel est posita, nemo debet arbitrari, rem quae movetur, motum suum unquam intermissuram, nisi ab alio impediatur, & concludendum potius inde est, id quod move-

tur,

tur, quantum in se est; semper moveri Cartes. Princ. II. 37.

8. At quia hic versamur circa terram, cuius constitutio talis est, ut motus omnes qui prope illam fiunt, brevi sistantur, & saepe ob causas quae sensus nostros latent, ideo ab ineunte aetate saepe judicavimus eos motus, qui sic a causis nobis ignotis sistebantur, sua sponte desinere: Jamque proclives sumus ad illud de omnibus existimandum, quod videmur in multis esse experti, nempe illos ex natura sua cessare seu tendere ad quietem. Quod profecto regulæ, quam in praesentiarum tractamus, quam maxime adversatur. Ques enim motui est contraria, nihilque ad suum contrarium seu ad destructionem sui ipsius ex propria natura ferri potest. Cart. ibid.

9. Sed videamus deinceps, quam habeat efficaciam axioma nostrum in rebus intellectu & ratione praeditis, de quibus propriæ dicere possumus, quod suis sint conservatrices. Ita asserimus, omni homini à natura attributum es-

se,

se, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinet; ea, quæ nocitura videntur, omniaque quæ sint ad vivendum necessaria, acquirat & paret.

10. Hinc ergo hortos & agros colebat, pecudes curare, victum inde & amictum sibi comparare, domos struere didicere mortales, ut vitam conservarent, & ab injuriis cœli, à bestiarum incursu se tutos præstarent. Unde artes vestiarie, edificatorie & aliae innumeræ originem suam accepere. Cumque non ferret omnis omnia telus, nec uni cuncta data essent homini, quibus indigebat, mercatura, & rerum permutatio est introducta & navigationes reporta &c.

11. Ejusdem axiomatis veritas Medicinam nobis peperit, quæ præsentem sanitatem conservare & amissam docet restituere.

12. Verum ut minus crebro in manus Medicorum incidat, Ethica ex nostro axiome te hortatur ad sobrietatem & temperantiam, ut conservanda mentis ac sanitatis medium saluber-

berimum. Dehortatur eadem ex eodem principio ab ~~autoxelia~~ & voluntaria corporis mutilatione aut duriore vexatione, cuius merito Flagellantes in Papatu cœlum sibi spondent. Dehortatur à prodigalitate & luxu, & monet cum Catone, ut restuas custodias. Hortatur ad sinceros amicos conqvirendos, qui præsidio nobis sint, auxilio & solatio.

13. Neque vero ex illius veritatis dictamine socium modo, sed sociam quoque vitæ sibi adscisci homo, & adeo ad sui conservationem & perpetuitatem adspirat, ut quam in individuo sive in se obtinere nequit, in specie propagatione & in filiis quæsum est. Quin & servos sibi & ancillas legit, ad sui & suorum conservationem eò commodius procurandam. Et sic videre licet, quomodo ductu regulæ nostræ ortæ fuerint societas domesticæ, conjugalis, paterna & herilis, de quibus agitur in Oeconomicis.

14. Jam cur à domesticis ad civiles insuper sociates se converterunt ho-

U 5. mi-

mines, cur ad urbes muris atque ageribus muniendas concurrerunt, nisi conservandi sui studio? Et cur bellum (quod saepe lites dirimunt) in jure naturæ fundatum esse *Politica* docet, nisi quod eadem natura sui & suorum defensionem probat? Hinc Thomas Hobbes in Elementis Philosophicis de Cive Cap. 1. §. 7. Inter tot pericula, inquit, quæ quotidie à cupiditate hominum naturali unicuique eorum intenduntur, cavere sibi adeo vituperandum non est, ut aliter velle facere non possimus. Fertur enim unusquisque; ad appetitioñem ejus quod sibi bonū & ad fugā ejus quod sibi malum est, maxime autē maximi malorū naturalium, quæ est mors; idque necessitate quadam naturæ non minore, quam quæ fertur lapis deorsum. Non igitur absurdum neque reprehendendum, neque contra rectam rationem est, si quis omnem operam det, ut à morte & doloribus proprium corpus & membra defendat, conservetque. Quod autem contra rectam

&am rationem non est, id & juste & jure factum omnes dicunt. Neque enim juris nomine aliud significatur, quam libertas quam quisque habet facultatis naturalibus secundum rectam rationem utendi. Itaque juris naturalis fundamentum primum est, ut quisque vitam & membra sua quantum potest tueatur. Quidam autem (sic pergit §. 8.) Jus ad finem frustra habet, cui jus ad media necessaria denegatur, conseqvens est, cum unusquisque se conservandi jus habeat, ut unusquisque jus etiam habeat utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, sine qua conservare se non potest.

15. Vis ut eadem tibi ulterius Jurisprudentia confirmet, inspice l. 3. de just. & jure: Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. lib. 4. in fine pr. ad L. Aquil. adversus periculum naturalis ratio permitit se defendere. l. 6. de pignorib. In hypotheca

generali vestis debitori est relinqua-
da, qvia non est verisimile, debito-
rem hanc specialiter obligaturum.
Rationem adferes illius verisimilitu-
dinis ex nostro axiomate, nempe qvod
qvisque suum ipsius corpus soveat ac
tueatur, adeoqve non præsumatur il-
lud frigore vel injurya cœli enervari
voluisse. Sed videatur omnino Wef-
senbeclius Comment. in Dig. lib. XXII.
ad tit. 3. de prob. & præsumpt. ubi a-
gens de materia præsumptionum ex jure
probat, qvod præsumatur qvodlibet
accidens in eodem, in quo semel fuit,
statu persistere, nisi contra probetur
mutatio, ut durare patriam potesta-
tem, vide cætera, & considera qvam
hæc congruant cum iis, qvæ thesi ter-
tia & septima ex Physicis dicebamus.

16. Tandem si *Theologiam* adeas, e-
legantem cernes SS. literarum cum su-
perius dictis harmoniam. Paulus ait
Eph. V. 29. *Nullus unquam suam ipsius*
carnem odio habuit, sed nutrit ac sovet
eam. Idem I. Tim. V. 8. Qvod si qvis-
suis & maxime domesticis non provi-
det,

det, fidem abnegavit, & est infidelis de-
terior (scilicet qvia & hunc natura
docet sui & suorum conservationi esse
invigilandum) & v. 27. monet Timo-
theum, ne amplius sit abstemius, sed
vino pauculo utatur, propter sto-
machum suum & crebras suas infirmi-
ties. Non ovum ovo similius est
qvam hac sunt conformia præceden-
tibus, nec vestigia magis plantam pe-
dis referunt, qvam ista universa regu-
lam nostram exprimunt.

17. Vidimus utilitatem axiomatis
in artibus ac disciplinis, qvas vel pro-
creavit vel qvarum dogmata confor-
mat aut illustrat: consideremus ean-
dem veritatem in diversis hominum
ætatibus. In prima etate mens nostra
non aliis cogitationibus vacat, qvam
iis qvæ ad corporis commodum aut
in commodum faciunt & ad hujus uti-
litatem & conservationem omnia re-
fert. Unde parentes qvi nutrunt, &
nutrimentum ipsum primo nomina-
re svescit infans, ut, licet, dentes non
habeat, labia tamen contorgveat ad

voces papa, mamma, & similes effor-
mandas.

18. *Maturioribus annis* qvicapiistro maritali collum non alligant, nec libe-
rorum procreatione suorum, ut alienorum adoptio, perennitatem sibi conciliare student, diversis tamen aliis viis rationibusque, alii per opera manuum, alii per opera ingenii & eruditionis, a-
lii fundatione Scholarum, Templo-
rum, Collegiorum Monasteriorum, Pyramidibus, statuis, imaginibus, aliis-
ve monumentis immortalem nominis famam, atque in ea sui quandam conservationem asseqvi laborant. Ipsi illi Philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, no-
men suum inscribunt, & in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt, Cic. pro Archia. Qui verò filios procreant, ut semet ipsos eo magis in illis conservent nomen suum iis induc, (etiam adoptati adoptantium nomina apud Rowanos assumebant.) succedere eos in paterno imperio, offi-
cio, vita genere optant, latantur deniq-

si mo-

si mores suos in illis renasci conspi-
ciant.

19. Qvando jam gravi *senectute* pre-
mitur ac debilitatur exhaustum corpus,
& variis cum morbis ac miseriis lucta-
tur, adhuc sui conservandi studio te-
netur homo. Audi enim qvid fabula memoret: Senex olim incisa à se ligna ferens, multam ibat viam, nimioque
præ labore, deposito in loco quodam onore, mortem invocabat. Verùm Mors cum accederet, causamque ob
qvam vocaret se, exquireret, timore subito correptus senex, ut meum onus,
inqvit, tollas. Solet etiam ad ava-
ritiam senum denotandam crebro il-
lud usurpari, quod eo plus viatici sem-
per petant, quo itineris termino sunt propinquiores, ex quo discitur, nostri conservandi conatum non nisi cum vi-
ta ipsa desinere.

20. Et nos utilitate axiomatis & re-
gulae Cartesianæ, & efficacia in omnibus
disciplinis atque artibus hominum
indicata, hic desinamus, totumque adeo opus versibus claudamus.

Parce

*Parce Pater, si quæ sunt dicta su-
perflua nobis:*

*Et si quæ desunt commoda,
parce Pater.*

*Qvod rectum est, nullo curve-
tur judice: qvicqvad
Obliquum est, nullus ping-
re curet amor.*

*Adferat errati veram confessio
laudem:
Et veram luxent dogmata
nulla fidem.*

*Tu interim benebole Lector,
Vive, vale. Si quid novisti re-
ctius istis,
Candidus imperti, Si non, his
utere mecum.*

F I N I S.



I N D E X C A P I T U M .

P Rolegomena.	pag. 1.
Cap. I de Philosophia Naturalis Es- sentialia ac Certitudine	p.4
II. de Materia universe considerata, qua spatum nullum vacat	p.6
III. de Corporum formis Intelligibi- libus, Qvantitate, Figura, Situ, Mo- tu, Quiete	p.12
IV. de Motu Locali, deque eo Leges Naturæ tres	22
V. de Vi Agendi & Resistendi	31
VI. de Corporibus Stabilibus & Fluidis, Duris & Mollibus	34
VII. de Figura incerta, globosa, angu- lata	43
VIII. de Aspero & Levi	47
IX. de Raro & Denso	49
X. de Poris Corporum, tam liqvido- rum, quam consistentium	51
XI. de	

- XI. de Mundo ejusqve in partes sensiles divisione 59
 XII. de Tripartitis Mundi aspectabilis Corporibus, nimirum lumen emitentibus, transmittentibus, remittentibus. 66
 XIII. de Tribus Mundi Elementis 72
 XIV. de Cœlo & Sole, Luceqve in utroqve 83
 XV. de Cœlis & Fixis, illorum numeris, figura, motu, situ & ordine 90
 XVI. de Motu materiæ primi & secundi elementi & Stellarum alimento. 96.
 XVII. de Solis & Fixarum maculis, novisve Stellis 100
 XVIII. de Cometis & Fixarum Scintillationibus 107
 XIX. de Planetarum Ortu, Situ & motu. III.
 XX. de Sole, Luna & Terra specialius considerata. 117
 XXI. de Origine Terræ Generali 121
 XXII. de Actionibus Materiæ Cœlestis in terrestrem, ubi de pelluciditate, Gravitate, Calore &c. 125
 XXIII.

- XXIII. de Particulis Terræ, Aeris & Aquæ Distinctione, 131
 XXIV. de Aere, Vapore, Vento, Nube, Nebula, Colore, Sono, Odore 138
 XXV. de Aqva, Glacie, Leviliquorum Superficie, & quæ Perspicuitate & Sonno, Spuma & Bulla 152
 XXVI. de Mari, Fonte, Nives Pluvia, Salsis, Dulcibus & Sapori. 163
 XXVII. de Æstu Maris 172
 XXIX. de Igne, Terræ motu, Thermis, Cinere & Carbone 174
 XXIX. de Ignis emollitione & induratione, Liqefactione & exsiccatione, fumo & ignis distinctione 181
 XXX. de Fossilibus, Sale, Sulphure & Mercurio, Lapide, Calce, Cinere, Vetro, Metallis & Ferro 186
 XXXI. de Viventium & non Viventium Differentia 198
 XXXII. de Vita & Vegetatione in Calido & Humido temperato 202
 XXXIII. de Viventium interitu & Morte à Causis Contrariis 209
 XXXIV. de Ætatum Differentiis 214
 XXXV. de Viventium aliorumque qvo-

- qvcrundam corporum superficie
duriore 216
- XXXVI.** de Caloris & fermenti in vi-
ventibus Varietate 220
- XXXVII.** de Natura alimenti in alito
manente 222
- XXXIX.** de Mutatione in Viventibus
ob loci vel temporis diversitatem.
226.
- XXXIX.** de Figura Viventium varie ro-
tunda in ipsis aut eorum partibus,
fructu, semine 229
- XL.** de Plantarum Calore, & certorum
qvorundam morborum ratione.
238
- XLI.** de Plantarum germine & fructi-
bus 244
- , **XLII.** de Plantarum poro & succo, &
qvmodo crescant. 246
- XLIII.** de Plantarum varietate 253
- XLIV.** de Surculorum insitione, & eo-
rum cum truncō, plantarum cum
terra conditione. 256
- XLV.** de Plantarum situ, loco in terra,
muri, & sub nive 261
- XLVI.** de Plantarum Coloribus. 268
- XLVII.

- XLVII.** de Plantarum Saporibus 271
- XLIX.** de Plantarum Odoribus 274
- XLIX.** de Morte Plantarum 277
- L.** de Animali 280
- LI.** de Animante Rationis Experte 288
- EII.** de Animalium differentiis.
298
- LIII.** de Hominē 304
- LIV.** de Mentis Humanæ Natura 306
- LV.** de Mentis Immortalitate, Propaga-
tione & Unitate 310
- LVI.** de Cogitationum Generibus 316
- LVII.** de Qvantitate Corporis humani,
Ejusqve Partium 321
- L'IX.** de Figura & Situ totius & par-
tium 325
- LIX.** de Motu Voce, Risu, Fletu, Sudore.
328
- LX.** de Hominis Temperamento, Sexu,
Ætate ac Tempore 333
- LXI.** de Conjunctione Mentis cum Cor-
pore & præcipue cum Cerebro. 337
- LXII.** de Generalibus Sensuum, præser-
tim externorum. 343
- LXIII.** de Visu. 349
- LXIV.** de Auditu & Loqvela 353
- LXV.**

LXV. de Olfactu.	358
LXVI. de Gustu.	361
LXVII. de Tactu.	365
LXIX. de Sensu communi, Phantasia, & Memoria.	368
LXIX. de Vigilia, Somno, & Insomnio.	375
LXX. de Appetitu Naturali	378
LXXI. de Affectibus Animi in Genere	380
LXXII. de Speciali Affectuum Enumera- tione	385
LXXIII. de Occultis Certorum Homi- num Qualitatibus	393
De Mundi Unitate	399
De Origine fontium	434
De Axiomate, qvod omnis natura sit conservatrix sui	456